

Handwritten: 22

DISSERTATIO HISTORICO CRITICA

DE

FATO MVHAMMEDANO

QVAM

EX AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

A. D. XXII SEPTEMBR. A. C. CIOCCCLVIII

H. L. Q. S

ERVDITORVM EXAMINI SVBICIUNT

IOANNES CHRISTIANVS

KRÜGER

LIPSIENSIS

A. M. ET AD D. PAVLLI AEDEM CONCION. VESPERT

ET

CHRISTIANVS GOTTLIEB KÜHNOEHL

CHEMNIZENSIS

SS. THEOLOGIAE STUDIOSVS

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA

Handwritten: Theol. Turc.

Hist. Turc.

539,46

Handwritten: III, 18.

INSTITUTIONS OF THE KINGDOM OF GREAT BRITAIN

BY WILLIAM MACKENZIE

1841

IN TWO VOLUMES

VOLUME I

THE HISTORY OF GREAT BRITAIN

FROM 1714 TO 1801

BY WILLIAM MACKENZIE

IN TWO VOLUMES

VOLUME I

1841

THE HISTORY OF GREAT BRITAIN

1714

BY WILLIAM MACKENZIE

1841

THE HISTORY OF GREAT BRITAIN

IN TWO VOLUMES

VOLUME I

THE HISTORY OF GREAT BRITAIN



Q. B. V

§. I

Quum speciminis loco dissertationem aliquam scribere constituerem, *Institutum* et meditarer, quid in ea mihi sumerem pertractandum: in *men- ratio.* tem venit intricata illa et inter Philosophos fere omnium gentium atque aetatum maxime agitata de fato controuersia. Quam accurate perlustrantes, facile intelligimus, in eo omnes conuenire, quod fatum in immutabili et necessaria omnium rerum consistat implicatione. Qualis autem implicatio sit, et vnde oriatur, ab aliis sectis aliter definitum fuit, ita vt, quemlibet Philosophum singulare quoddam fibique proprium effinxisse fatum, recte dixeris. Longum esset, singula, quae in lucem de fato prodita sunt, systemata enumerare, nec huius loci est; vnde eos, qui scire aueant, ad Cel. IAC. BRVCKERI *Historiam criticam Philosophiae*, qui ea singulis locis, vbi ipsi de eorum auctoribus sermo est, diligenter recenset, et ad GERH. IO. VOSSII *Theol. Gentil. L. II. Cap. 45-50. p. 554. sqq.* delegatos volo. De fato quidem, quod Muhammedi eiusque asseclis recte tribuitur, iam nonnulla disputauit de *Historia philosophica* egregie promeritus BRVCKERVS, *l. c. Tom. III. p. 163 sq.* Sed sua tantum ex *Anonymi* cuiusdam *Sonnitae Compendio Theologiae Muhammedicae*, quod HADR. RELANDVS libro suo *de Religione Muhammedana* praemisit, et ex ALGAZALII *Interpretatione confessionis fidei Orthodoxorum*, quam EDVARD. POCOCKIUS *Specimini historiae Arabum*, p. 274 *sqq.* inseruit, se hausisse, ipse fatetur. Operae itaque pretium me facturum existimaui, si hanc Moslemorum *de fato*, s. vt ipsi loquuntur, *على قدر الله* *de decreto diuino*, doctrinam vltius ex ipso Corano aliisque Sonnitarum s. Orthodoxorum libris explicare stude- rem, simulque, quum et inter Moslemos hac de re controuersia enata sit, Sectarum quarundam Islamitarum sententias adderem. Qua disputatio- ne breuem atque succinctam, accuratam tamen de fato Muhammedano ex-

A 2

stituturam

stituram historiam, quae haud contemnendis se emolumentis commendat, adeoque improbo labore et pertinaci, quam postulauerit, patientia digna sit, spero. Sic enim pars quaedam historiae philosophicae suppletur, et recte intelligitur, quale Muhammedes ipse fatum statuerit, et qua ratione eiusdem aetate eum sequantur. Multa in Corano, quae fatum inculcant, dicta legimus, sed ea in formam systematis nemo, quantum scio, redegit. Eiusmodi vero laborem necessarium esse arbitratus sum, quia quaelibet doctrina ex ipso fonte eruenda est, nec vlllo alio modo veram eius naturam intelligere possumus. Perlegi itaque Coranum, eaque, vbi de decreto diuino et, quod inde ortum esse dicitur, fato nonnulla memorantur ac docentur, loca diligenter notavi, alios tam Muhammedanorum quam Christianorum libros in auxilium vocavi, et sententias Sectarum praecipuarum collegi, vnde breuem hanc et systematicam, quam iudicio doctorum hominum subiicio, concinnaui historiam. Optarem, vt quodlibet Muhammedanorum dogma tum philosophicum, tum theologicum eadem ratione explicaretur.

§. II

Summa disputationis. Totius autem historicae huius *de fato Muhammedano* disputationis summa haec est. Primo vocabula quaedam, quibus Arabes *decretum diuinum* et *fatum* designare solent, explicabo, §. III, atque ostendam, quem locum doctrina haec in systematibus Muhammedanorum theologicis obtineat, §. IIII. Deinde ad fatum ipsum, quod Muhammedes statuit, ex Corano describendum progrediar, in eoque ita versabor, vt nonnulla ex eius opinione de fato in genere, §. V, de tabula asseruata, cui illud inscriptum est, §. VI, de nocte Alkadar, in qua fatum vnus cuiusque anni vltius determinatur, §. VII enarrem, tandemque speciatim demonstrum, fatum istud Muhammedis circa actiones humanas, §§. VIII-XV, circa res secundas et aduersas, §§. XVI-XVIII, circa vitam et mortem, §. XVIII, circa statum hominum post mortem s. electionem et reprobationem, §§. XX-XXII versari. Ex quibus omnibus cogetur breuis aliqua fati Muhammedis descriptio, §. XXIII, et demonstratio, vnde ille ad fatum eiusmodi statuendum peruenerit, §. XXIIII. His placita quaedam Muhammedanorum Sonnitarum s. Orthodoxorum hac de re addam, §§. XXV. XXVI, vt appareat, Muhammedis fatum ab ipsis doceri et quoque vltius explicari. Ne autem historia haec manca euadat atque mutila, necesse erit, vt tandem opiniones, quas de hoc dogmate Sectae nonnullae Muhammedicae fouerint, §. XXVII, Kadariorum scilicet, §. XXVIII, Motazalorum, §. XXVIII, Gjabbariorum purorum, §. XXX. mediorumque, §. XXXI, et Aschariorum, §§. XXXII. XXXIII subiiciam, addita conclusione, §. XXXIIII. Faxit Deus feliciter!

§. III.

§. III

Arabes praecipue duo vocabula habent, quibus *fatum* insigniunt, *Explicatio*
 القضاء et انقدر, eaque sunt, quae in limine dissertationis nostrae ex- *vocabulo-*
 plicanda veniunt. Primam radicem, vnde nomina haec duo descendunt, *rum quo-*
 significationem *secandi* et *diffindendi* esse, iam in *Commentat. nostra de no-*
minib. et cognom. Dei nonnull. arab. p. 19 observauimus, eamque fere omni- *rundam A-*
 bus verbis, quae *decretum, praedestinationem, imperium ac iudicium* designant, *rabicorum*
 propriam esse, ex multis exemplis intelleximus. Verbum قضى (vnde *fatum de-*
 apud Hebr. קצה et קצר, quorum prima potestas in *secando* posita est, vt *signantium.*
 קצה et קר proprie notant *terminum definitum*) ad *decretum* et *praedestina-*
tionem inter alios eiusdem significatus refertur, et eiusmodi *decretum* indicat,
 quod veluti *abscissum* est, ita vt a nemine impediri et retineri possit, sed
 fatali quadam necessitate peragi debeat. Perspicimus itaque, cuiusmodi de-
 cretum nomen القضاء describat, scil. eiusmodi, quod *fatum* in-
 uoluit. Sic quoque radix haec de *morte* aliisque *malis fatalibus*, quae, vt
 infra videbimus, omnia decreto diuino et fato subiecta sunt, vsurpatur.
 Hinc nomina tria, قضيّة, قضية et قاضية *mortem* ex-
 primunt. Altera radix قدر, quae eandem primam *secandi* notio-
 nem habet (vti de *veste secanda* eaque ipsa *sectione paranda* dici-
 tur), porro significat: *determinare, definire, dimentiri*, et tandem quoque
 ad *praedestinationem Dei* refertur, et quidem eam, qua Deus res omnes et
 singulas ita determinet atque necessaria reddat, vt aliter euenire nequeant.
 Hinc nomina قدر and قدر, quae, auctore G J E V H A R I O, designant
 ما يقدره الله من القضاء *illud quod Deus ex decreto aeterno defini-*
 uit et *necessarium* fecit. His itaque vocabulis Arabes ad *decretum* et *provi-*
 dentiam Dei, qua omnia necessaria fiunt atque *ineuitabilia*, exprimendam
 vtuntur, ita vt apte et conuenienter ipso *fati* vocabulo ea reddere queamus.
 Infinitiuus Coni. II, quae eadem, qua prima, significatione gaudet, تقدير,
 idem *diuinae potentiae decretum* et *ineuitabile fatum* denotat. مقدر, quod
 cum Fatha, Kesre et Damma litterae Dal scribitur, *potentiam* notat, *qua quis*
praeualet (radix enim quoque ad notionem *roboris* et *potentiae* transfertur);
 sed, interprete, quem modo laudauimus, G J E V H A R I O, أما من
 القضاء والقدر فالمقدر بالفتح لا غير *si eandem significatio-*
 nem (decreti diuini et *fati*), quae nominibus القضاء et القدر inest, ha-
 bet, non nisi cum Fatha scribitur, quod, vi vsitatoris sui significatus, *eius-*
 modi

modi fatum, quod omnibus praeualet, describit. Nomina igitur duo inprimis, القضاء et القدر, quum decretum diuinum significant, necesse est, ut discrimen, quod inter ea intercedat, ostendamus. Recepta inter Muhammedanos de eorum differentia opinio haec est, ut prius, القضاء, decretum Dei, quatenus inde ab aeternitate in Deo est, posterius autem, القدر, quatenus in tempore a Deo peragitur, designet. قضاء itaque series est omnium rerum inuitabilis ac necessaria, a Deo ipso ab aeterno constituta et, ut ita dicam, idealis; قدر series illa ipsa realis et ad effectum perducta. Sic Auctor XXXX articulorum fidei, (a) quo IO. HENR. HOTTINGERVS vsus est, commemorat, القضاء esse inuentarium vel catalogum vniuersalem omnium rerum in Tabula custodita summatim exhibitarum, القدر vero productionem singulorum indiuiduorum aut rerum ordine sibi succedentium; vel: القضاء esse voluntatem aeternam et prouidentiam diuinam, redigentem in ordinem omnes res existentes secundum dispositionem vniuscuiusque (s. secundum ordinem indiuidualem, vniuscuiusque indiuidui), القدر vero dependere a voluntate illa in rebus, quae temporibus destinatis fieri debent, conf. HOTTINGERI Hist. Orient. edit. post. p. 572. IBN KADDAI (cf. ED. POCOCCI Specim. hist. Arab. p. 208) vocabula haec duo ita explicat, ut dicat, القضاء vi vocis iudicium significare, et iuxta usum Scholasticorum iudicium vniuersale diuinum de particularibus rerum creaturarum denotare quoad statum, quo perpetuo fluant ab aeterno vsque ad seculum; القدر autem dispositionem omnis status s. conditionis rerum particularium tempore determinato et per causam determinatam. IBN OL ATHIR quidem, (cuius verba idem POCOCCIUS, l. c. p. 207. laudat), asserens, القضاء et القدر esse res inter se tam artificime et necessario connexas, ut altera ab altera diuelli nequeat, القدر habere rationem fundamenti, القضاء aedificii, contrarium docere videtur, sed, quod POCOCCIUS opinatur, oscitantia scribae locum mutatum fuisse et duo haec nomina transposita, quam maxime probabile est, quum reliqui omnes eam, quam demonstrauius, differentiam obseruent. HERBELOTIVS in Biblioth. Orient. p. 228, vbi vocabula haec Cadha et Cadr explicat, ait:

Les

(a) Monendi sunt, qui haecce legent, nos, si locum quendam arabicum allegamus, qui iam alibi exstat, non nisi latina, uti inuenimus, addere, arabica omitentes breuitatis causa. Sic quoque saepissime ex BEIDAVII Commentario MS. in Coranum, quem Cel. D. IO. IAC. REISKIUS, Lingu. Arab. in hac Academia Professor et Rector Schol. Nicol., Praeceptor et Patronus noster ob multa in nos merita maximo honore prosequendus, nobis vsurpandum concessit, versionem modo lat. verborum arabicorum, si multa sunt, adscripsimus.

Les Mahometans distinguent ces deux mots et disent que le premier (Cadha) signifie le decret en tant qu'il est en Dieu et emané de Dieu, et le second (Cadr) signifie ce meme decret en tant qu'il s' execute ici bas. Nihilominus tamen saepissime tum nomina haec tum eorum verba promiscue vsurpantur, praecipue in Corano, id quod ex exemplis infra passim obuiis erit quam manifestissimum.

§. IIII

Dogma autem hoc *de fato*, quod, quoniam, vt ex systemate infra exhibendo patebit, e decreto diuino proficiscitur, ad Theologiam quoque refertur Muhammedanam, articulum fundamentalem in eorum systematibus theologicis constituit. Theologiae enim, quam *الاسلام* *Al Islâm* vocant Muhammedani, et quidem partis eiusdem theoreticae, cui nomen *إيمان* *Imân*, fidei, tribuunt, articulus vltimus ab iis sic inscribitur: *على القدر* *de decreto Dei altissimi de bono et malo*. Omnes Theologiae Muhammedicae, tum theoreticae, tum practicae, articulos recensent HADR. RELANDVS *de relig. Muhammed. p. 4. not. a.* et GEORG. SALE *in the preliminary Discourse prefixed to the Koran, p. 71.*

Quem locum doctrina de fato in systematibus Muhammedanorum theologicis obtineat.

§. V

Rem ipsam nunc aggredimur. Systema autem Muhammedis ex Corano collectum ita exhibebimus, vt primo ea, quae de fato suo generatim dicunt, dein *momenta specialia* ita diligenter enarremus, vt quilibet ex oratione nostra naturam et indolem fati istius Muhammedani facile et accurate cognoscere possit. Afferit Muhammedes, Deum omnia, quae creauerit, disposuisse et praedestinasse, vnique rei constituisse fatum, omnia quasi computasse et in tabulam quandam (de qua mox plura) retulisse, nunc eum omnia dirigere et gubernare, ita vt singulis diebus in nouo quodam opere occupetur, eaque, quae ab aeterno decreuerit, efficienda curet, hac ratione, vt ea, quae Deus facere decreuerit, nunc necessario eueniant, nec verbum et statutum Dei immutari possit. Sic ipse Muhammedes in opere suo ea, quae nominibus *القضاء* et *القدر* insigniri et a se inuicem distingui, §. III diximus, decretum diuinum, quatenus a Deo ab aeterno pronunciatum fuit, eiusque in tempore exsequutionem et euentum necessarium atque ineuitabilem describit, eam tamen inter haec duo nomina, quam Muhammedani esse dicunt, differentiam non admodum obseruans. Ne autem falsi quid Muhammedi attribuisse videamur, dogma hoc locis nonnullis ex ipso Corano adductis confirmabimus. Diserte et expresse affirmat, Sur. LXXXVII, 2. 3. (b) Deum esse, *الذي خلق فسوي* *والذي*

De fato Muhammedis in genere.

(b) Quum editio Corani *Hinkelmanniana* a *Marracciana* in numerandis versiculis saepe discrepet, in iis citandis *Marraccianam*, quam ipse possideo, sequutus sum.

والذي قدر قهدي, qui creauerit et conformauerit, decreuerit et praedestinauerit, nunc autem dirigat (omnia), quae postrema verba BEIDAVIVS (cf. SALIVS ad h. l. p. 438) ita interpretatur: Deum varias creaturarum suarum species, attributa vitaeque instituta determinasse, nunc autem ratione praeditas per rationem et reuelationem, ratione expertes vero per instinctum dirigere naturalem. Sur. XXV, 2 porro praedestinationis huius diuinae meminit, dicens: خلق كل شيء فقدره تقديراً, Deum creasse omnia et determinasse absoluta determinatione, ubi BEIDAVIVS duplicem hanc suppeditat explicationem: Deus determinauit et concinnauit omnem rem, quam creauit, ad id, quod voluit esse in ea de proprietatibus et operibus, quemadmodum adaptatio s. formatio hominis est ad capacitatem et intelligentiam et ad meditandum et ad dirigendam vitae rationem et ad subtiliter excogitandas artes diuersas et ad institutionem variorum operum etc. Aut alia ratione phrasim haec explicari potest, quod Deus omnem rem ita determinauerit, ut subsisteret usque ad terminum decretum et fatalem. Cum his duobus locis bene alium conferre possumus, qui Sur. LIV, 48 exstat: انّا كل شيء خلقناه بقدر, nos (scil. Deus, qui fere ubiuis in prima pers. plur. de se ipso loquens introducitur) omnem rem creauimus cum determinatione, s. uti SALIVS optime interpretatur: all things have we created bound by a fixed decree, omnes res creauimus decreto stabilito et ineuitabili determinatas, et, interprete BEIDAVIO, مقدرًا مكتوبًا في اللوح المحفوظ قبل وقوعه in tabula asseruata, antequam exsisterent, descriptas et definitas. Porro decreto hoc Dei aeterno mensurata et dimentita esse dicuntur omnia, Sur. XIII, 10, Deusque ipse, si Muhammedi fidem habemus, LXXVIII, 28 omnia quasi computauit et in asseruata tabula accurate descripsit. Inprimis autem nobilis quidam Corani locus, LXV, 3 negligi non debet, ubi sic: قد جعل قد جعل Deus unicuique rei fatum; now hath God appointed unto every thing a determined period. BEIDAVIVS haec verba interpretatur: تقديراً او مقدرًا او اجلا لا يتأتى تغبيره Deum constituisse unicuique rei ineuitabile fatum, aut mensuram definitam et determinatam, aut terminum fixum, cuius mutatio nunquam contingat. In his omnibus locis Muhammedes voce قدر vtitur, quum tamen de decreto Dei, quod ab aeterno factum fuit, et quo omnia, antequam exsisterent, praedestinata fuerunt, et iuxta quod quoque omnia Deus creauit, fermo sit. Reliquum est, ut etiam de exsequutione decreti huius diuini nonnulla ex Corano obserue-

obseruemus. Docet eam Muhammedes Sur. LV, 29: كل يوم هو في شأن, *quotidie (Deus) in nouo opere occupatur*, scil. in iis, quae ab aeterno decreuerat, efficiendis. Huc quoque pertinent ea loca, vbi Deus dicitur *omnes res gubernare*, quae quidem phrasis alias in bonam partem explicari posset, sed hic ex systemate Muhammedis interpretanda est, X, 51. XIII, 3. XXXII, 5. Quod autem peractioni huic decreti diuini fatale quid inesse recte dici possit, ea loca probant, vbi diserte Muhammedes docet, *verba et statuta Dei*, quippe quae Deus ab aeterno pronunciauit et stabiliiuit, *nullae prorsus mutationi obnoxia esse*, VI, 33. 115. XXXIII, 37. XXXV, 43. 44. XLVIII, 23. L, 27. LIV, 3. ita vt euenire necessario debeant, nec vlllo modo impediri possint. Fatum hoc in doctrina Muhammedis de decreto Dei infra, vbi illud per partes explicabo, ita intelligetur, vt certissime sperem, qui de crasso illo errore dubitet, fore neminem.

§. VI

Tabulae asseruatae in §. praeced. nonnunquam inieciimus mentionem; *De Tabula nobis incumbit*, vt quaedam de ea nunc edisseramus. Antea vero *nomina asseruata*, quaedam, quae huic tabulae in Corano attribuuntur, explicanda sunt, vt ea, vbi occurrunt, loca eo facilius intelligere possimus. Vocatur 1) لوح محفوظ, *tabula custodita* s. potius *asseruata*, SALE: *the preserved table*, quod male interpres germanus fere vbiuis vertit: *die erhaltene Tafel*; melius: *die aufbehaltene Tafel*, vti ipse Sur. LXXXV, 22 recte circumscribit: *die im Himmel aufbehalten wird*. Datur vero ipsi hoc nomen, quia Deus eam ipse asseruat in caelo, et curam habet, ne quid in ea mutetur. 2) كتاب, *liber* κατ' ἐξοχήν, VI, 37. XVII, 59. XXII, 71. XXXV, 11. LVII, 22. 3) كتاب الله, *liber Dei*, IX, 37. 4) كتاب مبين, *liber manifestus et perspicuus*, VI, 58. XXXIV, 3. 5) كتاب حفيظ, *liber asseruatus*, L, 5. 6) كتاب مكنون, *liber seruatus et custoditus*, LVI, 79. 7) كتاب موجد, *liber metas rerum continens*, SALE: *the book containing the determinations of things*, III, 145. 8) أم الكتاب, *mater libri*, XIII, 41. XLIII, 4. Appellatur autem sic, quia quasi *mater et origo est omnium librorum caelestium diuinorumque*, qui de tabula hac transcripti et prophetis dati fuerunt. vid. ZEMACHSCHARIUM apud MARRACCIVM, *ad Sur. XIII, 41. p. 371. it. SALIVM ad eund. loc. p. 204. HERBELOTIVS in Biblioth. Orient. p. 686 et MARRACC. ad Sur. I, p. 1.*, Muhammedanos quoque primae Corani Surae hoc nomen imponere,

ponere, commemorant. Hi sunt praecipui tabulae huius asseruatae tituli, qui in Corano leguntur. Vltiorem eius descriptionem addimus. Muhammedes quidem in Corano suo nec eius conditionem describit, nec locum in caelo, vbi asseruetur, notat. Vtrumque tamen Muhammedani ex traditionibus quibusdam certis et authenticis accurate sciunt. Ex traditione IBN ABBAS (auunculi Muhammedis eiusdemque aui *Abdolmotalleb* nepotis, cuius auctoritas traditionibus apud Muhammedanos magna est, vid. HERBELLOT. *l. c. p. 3*) ZEMACHSCHARIUS (cf. MARRACC. *ad Sur. LXXXV, 22. p. 792.* et in *Prodromi Parte III, p. 94*) et KESSAEVS in *Historia Sacra* (v. HADR. RELANDVS *de relig. Mub. p. 52*) referunt, *tabulam hanc ex vna margerita candida (c) immensae magnitudinis constare, longitudinem eius esse tantam, quantum spatium inter caelum et terram, latitudinem vero, quantum inter orientem et occidentem, primam fuisse omnium rerum, quas Deus creauerit, et suspensam esse in aere supra septimum caelum, atque a Deo seruari, ne quid iniuria Daemonum in ea mutetur.* Cura autem huius tabulae (quod H. RELANDVS, *l. c. p. 194.* ex ABVL KASIMI *Obseruatt. MStis ad Alcoranum* tradit) a Deo commissa est angelo cuidam *Seraphieli*, eam ob caussam, quia angelorum primus fuit, qui, Deo iubente (*Sur. II, 34*), Adamum adoraret. Haec famosa est illa tabula, in qua decretum Dei aeternum descriptum esse Muhammedani affirmant. Sic vero Muhammedes de ea docet. *Omnia, quae in caelis et terra fiunt, ibi annotata, Sur. XXII, 71. LVII, 22. omnes actiones magnae et paruae descriptae sunt, LIV, 52. nullum decidit ex arbore folium, nullum granum est in tenebricosis sulcis terrae, neque virens, neque aridum, nihil est, quod modo formicae pondus referat, aut minus, aut maius sit, quod in libro hoc perspicuo et manifesto descriptum non reperiat, VI, 58. X, 61. XXXIV, 3. nihil in eo praetermissum est, VI, 37. metas terminosque rerum omnium comprehendit et cuiusuis creaturae mortem definit, III, 145. vrbes perdendas aut alio quocunque modo puniendas designat, XVII, 58. 59. statum hominum post mortem definit, XX, 47. 48. immo numerum mensium anni (d) determinat, IX, 37.* Videmus ex his, quae Muhammedes in Corano de hac tabula commemorat, eam omne Dei continere decre-

(c) Cum hac relatione non conueniret Corani locus, *Sur. LII, 2. 3.* vbi de libro quodam in pergamento expanso descripto sermo est, si euictum esset, Muhammedem ibi de tabula asseruata loqui.

(d) Arabes prisca post quemlibet tertium annum intercalauerant mensem, vt annus ipsorum lunaris cum solari fere consentiret. Sed Muhammedes paullo ante obitum suum, embolimaicum hunc annum abrogauit, dicens, tabulam asseruatam non nisi menses duodecim cuiusuis anni definire. v. JEAN GAENIER *dans la vie de Mahomet, Part. II. p. 267 sqq.*

decretum, in eaque omnia esse descripta et definita, quae infra per partes pertractabimus, actiones humanas, cuncta, quibus fortuna secunda aut aduersa hominis paratur, mortem, statum denique eius post obitum. Quum praeterea, vt supra iam commemorauimus, in tabula asseruata libri diuini omnes scripti sint et ex ea transcripti, vt statutis temporibus prophetis exhiberentur, nonnunquam Muhammedes, Coranum suum etiam in ea comprehendit, docuit, Sur. XLIII, 4. LVI, 78. 79. LXXXV, 21. 22. quod Muhammedani firmiter credunt, eo ipso Corani aeternitatem se confirmare posse existimantes. Ea, quae de tabula hac narrauimus, multi Muhammedanorum, iique Orthodoxi, ad litteram intelligunt, nonnulli autem sensu quodam metaphorico et emblematico de aeterno Dei de rebus omnibus decreto capi volunt.

§. VII

Omnia igitur Deus ab aeterno decreuit, et in libro, quem §. praeced. *De nocte* descripsimus, asseruata litteris designauit. Sed porro nox aliqua quolibet *Alkadar*, anno notanda est, vbi Deus ea, quae ab aeterno decreuit, pro futuro anno ulterius determinat ac disponit. Appellatur haec nox *ليلة القدر*, nox *Alkadar*. Duplici ratione hoc nomen explicatur. Quidam, e. g. ZEMACHSCHARIUS et GJELALODDINVS (v. MARRACC. in not. ad Sur. XCVII, 1. p. 812) a dignitate et excellentia eam noctem sic nominatam esse putant, quia nobilitate et excellentia ceteras noctes longe antecellat. Eorum vero mihi magis placet sententia, qui noctem decreti diuini s. fati interpretantur. Sic nomen cum re, quae hac nocte peragi dicitur, optime conuenit. De ea enim Muhammedes Sur. XLIV, 5. 6. ita: *فيها يفرق* quaecunq; res sapienter, ceu imperium a nobis (demissum); bene *παραφρασεως* SALIUS: wherein is distinctly sent down the decree of every determined thing, as a command from us. Sur. XCVII, quae ipsa de hac nocte nomen *القدر*, *Alkadar*, accepit, eam, mille mensibus, meliorem pronunciat, et v. 4. addit: *تنزل الملائكة والروح فيها بان ربهم من كل امر*, in ea descendunt angeli et inprimis spiritus (Gabriel sc.), permittente ipsorum Domino, cum diuinis decretis ad omnes res spectantibus. Vt autem totam huius noctis assequamur historiam, ea momenta, quae Muhammedani recensent iisque ea, quae in Corano dicta sunt, suppleant, addamus necesse est. GJELALODDINVS ad Sur. XLIV, 4 (v. MARRACC. p. 642) ita commentatur: in ea nocte distincte et sapienter disponuntur atque ordinantur a Deo omnia, quae ad vitam et mortem hominum et ad alia spectant, quae futura

futura sunt eo anno usque ad aliam noctem Alkadar sequentis anni. ZEMACH-SCHARIVS (v. MARRACC. ad Sur. XCVII, p. 812) haec habet: nox Alkadar eam significat noctem, qua Deus disponit et decernit res omnes (futuri scil. anni). Res itaque sic concipienda est. Ea, quae Deus ab aeterno decrevit, ut tempore suo fierent atque euenirent usque in aeternum, quolibet anno ulterius definit, definitioni huic ulteriori noctem Alkadar cuiuslibet anni consecrat, in eaque igitur non, uti MARRACCIVS in *Refut. Surae XCVII, n. II. p. 813* putat, de nouo ea, quae hoc anno euentura sunt, decernit, sed ea, a ceteris distincta et separata, nunc angelis efficienda tradit, eosque cum decretis istis diuinis e caelo in terram demittit. v. SALIVS in *not. ad Sur. XCVII, p. 497. coll. not. ad Sur. XLIV, p. 401.* Nox vero ista, quam noctem promulgationis decreti diuini pro futuro anno eiusque exsequutionis angelis commissae, s. breuius, noctem fati recte dixeris, ex plurimorum Moslemorum opinione vna est de vltimis decem noctibus mensis Ramadhan, et quidem septima a fine mensis, ita ut diem XXIII et XXIV mensis huius intercedat. v. SALIVS ad *Sur. XCVII, p. 497.* et MARRACC. ad *Sur. eand. p. 812 sq.* Eadem nocte anni, quo Muhammedes quadragesimum aetatis annum agebat, et a Deo legati et apostoli nomine mittebatur, qui annus ante Hegjram fuit decimus tertius, Coranus e tabula asseruata ab angelis descriptus, et serico compactus inuolucro, auroque et pretiosissimis gemmis adornatus, per Gabrielem a caelo septimo usque ad cacum infimum lunae demissus fuit, vnde eum per partes spatio viginti trium annorum cum Muhammede communicauit. Quolibet tamen anno semel, vltimo autem vitae Muhammedis bis Coranum hunc totum ei ostendit. v. SALIVS et MARRACC. *ll. cc.* itemque SALIVS in *Disc. praelim. p. 64 sq.* adde GAGNIER dans la *vie de Mahomet, Partie I, p. 105 sq.*

§. VIII

De Fato
Muhammedis
in specie.

Praemissis his, quae praemittenda videbantur, momentis generalibus, ad id peruenimus, ut fatum hoc *singulatim* et per suas partes explicemus. Ordinem, quem §. II constituimus, sequemur. Primum itaque erit, ut fatum, quod ex Muhammedis opinione circa actiones humanas versatur, exponamus. Enarratis autem sententiis quibusdam circa actiones hominum in genere, deinde nonnullas speciales circa bonas, postea circa malas proponemus, et tandem quaedam ex doctrina Muhammedis adiungemus de actionum eiusmodi moralium imputatione. Finem facient nonnulla de actionibus, quas indifferentes vocant.

§. VIII

De fato
Muhammedis
circa

Fatum itaque Muhammedem circa humanas actiones statuere, sequentes propositiones ex Corano ipso collectae euincunt. Illae enim eas ex ineluctabili

Stabili

Stabili fatorum vi plane necessarias reddunt, ita vt homo aliter agere non po- ^{actiones hu-}
tuerit. Supra iam §. VI ostendimus, ^{manas in} *actiones omnes tum magnas tum paruas in tabula asseruata descriptas esse*; quae vero quum decretum Dei aeternum ^{genere.}
comprehendat, patet, omnes actiones a Deo ipso iam ab aeterno fuisse de-
finitas et praedestinatatas. Alias huic adiungimus propositiones. *Homines*
libere non agunt, Deus solus libere agit, Sur. XXVIII, 68. Ibi enim sic Mu-
hammedes: *Deus creat, quod vult, et eligit, quod vult, ipsis autem homi-*
nibus non est electio. Optime SALIVS: *thy Lord createth what he pleaseth,*
and chooseth freely, but they have no free choice. MARRACCIUS quidem
— ad Deos s. idola refert, ac si dixisset Muhammedes, diis et idolis
non esse potestatem eligendi liberam, sed, quum vers. antec. de homine,
qui credat et resipiscat eaque faciat, quae recta et bona sunt, ideoque spe-
rare possit, se olim inter fortunatos repertum iri, sermo sit, verba haec
nostra melius de hominibus exponuntur, qui plane nulla libertate praediti
sunt in actionibus suis efficiendis (e). *Deus ad interiora hominis vsque pene-*
trat, consilia eius dirigit eumque l. ad fidem, l. ad infidelitatem impellit. Hoc

sibi vult phrasis, Sur. VIII, 23: *ان الله يحول بين المرء وقلبه*,
Deus intercedit inter hominem eiusque cor, quam doctissimus SALIVS, in not.
ad h. l. p. 142. sic interpretatur: *God goeth between a man and his heart, not*
only knowing the innermost secrets of his heart, but overruling a man's designs,
and disposing him either to belief or infidelity. Quam explicationem totus
verborum contextus non modo bene patitur, sed quoque postulat, quippe
vbi Muhammedes de infidelibus loquitur, qui muti et surdi sunt, et quibus
auditio verbi diuini nihil prodesse potest. *Potestas Dei in hominem tanta est,*
vt homo nihil facere possit, nisi quod Deo placeat (f). Haec vis est verbo-

rum Sur. XI, 56: *ما من دابة الا هو آخذ بناصيتها*,
nullum est animal, quod Deus per antias non teneat, i. e. auctore GJELAL-

B 3

ODDINO

(e) Muhammedani expresse affirmant, homini nullum esse arbitrium liberum. v.
infra §. XXVI. Exemplo etiam ex ipso Corano assertum hoc Muhammedis con-
firmare possumus. Deus enim (si Muhammedi fides habenda est) decreuerat,
vt propheta Zeinabiam s. Zenobiam, vxorem Zeidi, liberti sui, in matrimo-
nium duceret. Decreuit id quoque Muhammedes ipse. Sed ipsa Zenobia vna
cum fratre Abdallah ei repugnabat. Muhammedes vero dixit: *fideles non de-*
cere, vt, vbi Deus eiusque propheta aliquid decreuerint, libertate praediti sint,
aliud eligendi, Sur. XXXIII, 35. v. SALIVM ad h. l. p. 346 sq. et MARRACC.
ad h. l. p. 561.

(f) *Cogit tamen neminem ad eiusmodi quid, quod facere nequeat*, II, 287. VI, 152.
VII, 43. LXV, 6. quo postremo loco sic explicatur, Deum neminem cogere nisi
ad id, cuius faciendi vires ipsi dederit.

ODDINO (v. MARRACC. ad h. l. p. 348), dominio et potestate illud co-
 hibet, ita ut neque profit neque noceat (i. e. neque bona neque mala faciat),
 nisi Deo volente. Idem addit, poni singulariter antias s. comas frontis pro-
 pendulas, quae in maribus reperiantur, quia qui per cas teneatur, ad extre-
 mam subiectionem redactus sit. vid. quoque SALIVS, in not. ad h. l. p. 181. et
 HERBELOT. in Biblioth. Or. p. 461. Deus ipse hominibus instinctum malitiae
 et pietatis indidit, s. ipse facit, ut ad bonum et malum inclinent, XCI, 8.
 Creavit Deus homines, ita ut alter fidelis esset, cuius fides, monente BEI-
 DAVIO, ante definita est, *مقتدر ايمان*, alter infidelis, cuius in-
 credulitas, eodem interprete, praedestinata est, *مقتدر كفر*,
 LXIV, 2. Quocum loco conferendi sunt alia, in quibus inter homines boni
 et mali esse dicuntur, V, 75. LXXII, 11. Deus quosdam ex hominibus ad ve-
 ritatem deducit, alios non dirigit (g), VII, 31. Dirigit autem, quem vult,
 s. cuius directionem cupit, ita ut eum in errorem agere nemo possit, et in de-
 via abripit, quem vult, ita ut ad veritatem eum reducere possit nemo. Loca
 hic ea modo annotabo, ubi utrumque asseritur, cetera, ubi l. unam l. alte-
 rum docetur, in sequentes paragraphos, ubi de bonis et malis actionibus in
 specie sermo erit, reseruant. Sunt vero sequentia: II, 26. VI, 38. VII, 155. 179.
 XIII, 29. XIV, 5. XVI, 93. XXXV, 8. LXXIV, 31. quibus XXXIX, 36. 37,
 ubi omnia, quae in thesi posuimus, affirmantur, addas (h). Si voluisset
 Deus, in omnes vrbes prophetas praedicatoresque misisset, XXV, 51. Si vellet,
 omnes ad veram religionem perducere posset, VI, 34. 149. X, 98. XI, 119.
 XIII, 34. XVI, 9. 93. XXXII, 14. Exinde vero sequitur, Deum nolle omnes
 ad veram fidem ducere, eosque ideo, quos dirigere vult, necessario bene
 agere, eos autem, quibus hanc suam gratiam denegat, inevitabiliter pecca-
 re. Haec sunt ex Corano. Nonnulla adiciam, quae ex traditione alibi de
 Muhammede reperi. ED. POCOCCIVS in Spec. Hist. Ar. p. 237 narrat,
 Muhammedem a duobus Mosainensibus, num actiones hominum essent aliquid
 de ipsis a Deo praedeterminatum et iam antea decretum, an quod ipsi homines
 postea patrauerint, interrogatum respondisse: *بل شي قضي عليهم*, neutri-
 quam,

(g) Sic nonnunquam brevitatis ergo arab. *هادي* expressi. Magis latine dice-
 res: ad veram religionem et fidem perducere.

(h) Deus hinc ipse dicitur *هادي ومضل*, rectam in viam deducens et in errorem
 agens, ipsique, attributi nomine, *الهداية والاضلال* adscribitur. v. Anonymi
 Comp. Theol. Muh. apud RELAND, l. c. p. 10. 12.

quam, sed sunt res de ipsis praedeterminatae (i). Qua doctrina quomodo ipsi Muhammedis sodales abusi sint, illustre exemplum commemorat I. GAGNIER dans la vie de Mahomet, P. II. p. 124 sq. Muhammedes quum Meccam expugnaret, eamque urbem cum suis militibus ingrederetur, ipse vero iis civium caedem interdixisset, dux quidam Chaled ingenti caede hostes prostravit. Quod Muhammedes videns et a Koraischita quodam hac de re admonitus, vnum ex Ansariensibus aduocat, ipsique mandat, vt Chaledum a caede Meccanorum abstinere nomine suo iubeat. Nuncius autem ille duci auctoritate Muhammedis praecipit, vt omnes, quos sibi obuios habeat, interficiat hostes. Chaled verbis his excitatus, bellum contra Meccanos vltterius profequitur, innouato furore eos inuadit, nemini vitam et salutem concedit. Aduolat alius ciuis Meccanus, et de crudelitate Chaledi coram Muhammede conqueritur, qui ducem adductum obiurgat ex eoque quaerit, cur mandata sua de caede Meccanorum sit transgressus. Ille, Muhammedem sibi hoc imperasse, respondit. Culpa itaque obrutus Ansariensis, qui falsum Chaledo retulerat mandatum, accensitur, eumque propheta sic alloquitur: nonne te Chaledo dicere iussi, ne vllum interficeret Meccanorum. Cui hic, ita est, respondit, et quoque negotium illud curare volui, sed Deus aliud voluit, ideoque id, quod Deus voluit, factum est.

§. X

Sufficiant haec, quae de actionibus hominum necessariis in genere enarrauimus. De actionibus bonis nonnulla speciatim dicenda erunt. Doctrina autem Muhammedis, quam de iis in Corano inculcat, commode sequenti-
De fato Muhammedis circa actiones bonas.
 bus includi poterit propositionibus. Deus creauit pios, vt eorum misereretur, eosque ad veram fidem perduceret, Sur. XI, 119. Eorum anima ad malum non procliuus est, XII, 53. Nihil itaque de naturali omnium hominum corruptione credit, sed pios ab ea eximit, quos a Deo in hunc finem creatos esse affirmat, vt ab eo recte dirigerentur. Huc accedit, quod §. praeced. annotauimus, Deum ipsis instinctum pietatis dedisse, ita vt nulla ratione ad peccatum propensi esse possint. Omnes itaque eorum actiones bonae necessariae sunt, quod ex sequentibus vltterius apparebit. Deus ducit, quem vult, in viam rectam, in lucem suam, in gratiam suam, i. e. religionem Islamiticam, II, 143. 213. 273. VI, 89. 125. X, 26. XVI, 9. XXII, 16. XXIV, 36. 47. XXVIII, 57. XLII, 7. 13. 52. Deus vero eos dirigit, qui credunt et resipiscunt, s. potius, volente eo, credere et poenitentiam agere debent, II, 5. 159.

(i) Dictum tamen ipsius Muhammedis refertur, quo Kadarios, quos affirmare dicebat, Deum decreuisse hominibus rebellionem eosque ob eam punire, maledictos pronunciauit, ac si aliud in Corano statueret, ПОСЛОК. l. c. Alias vero Kadarii ii esse dicuntur, qui homini libertatem agendi omnemque potestatem adscribunt, vide infra §. XXVIII.

5. 159. 187. IV, 174. V, 18. 114. VI, 83. XXII, 55. LXIV, 12. *eosque e tenebris in lucem ducit*, II, 258. *ita quidem, ut, nisi eos Deus dirigeret, s. dirigere vellet, ipsi a nemine dirigerentur*, VII, 44. Sic Deus elegit Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Noachum, Dauidem, Salomonem, Iobum, Iosephum, Moysen, Aaronem, Zachariam, Ioannem, Iesum et Eliam, Ismaelem, Elisaeum, Ionam et Lothum, *eosque ad veram perduxit religionem*, VI, 84-88. coll. de Abrahamo, XVI, 121. *Quem vero Deus dirigere vult et reipsa dirigit, eum nemo in errorem agere potest* (k), XXXVIII, 37. Deus verbum suum cum effectu nunciat, cui vult, XXXV, 22. et quoque fidem, quae spontanea Dei gratia est, dat, cui vult, LXII, 4. eam ipse animis eorum inscribit, LVIII, 22. Nullus credere potest, nisi volente Deo, X, 99. qui piis amorem fidei infundit, eamque in eorum animis efficit, atque iis ἀπιστοῦν et crimen negatae obedientiae exosum reddit, XLIX, 7. Sapientiam Deus concedit, cui vult, II, 270. eamque piis, i. e. iis, qui ex praedestinatione pii esse debent, eum in finem largitur, ut veritatem agnoscant, XXXIV, 6. ita ut modo illi, qui ea praediti sunt, commonescieri, XXXIX, 11. Deumque timere possint, XXXV, 28. Deus ipse a piis malum et peccatum auertit, XII, 25. et iis opera bona quasi inspirat, XXI, 73. ut legato Dei obediant ex voluntate Dei, i. e. quia Deus vult, ut ipsi obediant, obsequium quoque ei praestent, IV, 62. Muhammedes ipse Corano suo non omnes homines ab idololatria ad veram religionem se reducere fatetur, sed modo eos, quos Deus voluerit, XIV, 2. Piis non est causa, cur ad falsam reuertantur religionem, nisi ita voluerit Deus, ut a vera fide deficient et aberrant, VII, 90. Porro, si quis castino die opus bonum peragere velit, à Muhammede, XVIII, 25 monetur, ut dicat, se illud facturum esse, si Deus voluerit, scil. ut id faciat; cuius pericopae inspirandae occasionem vide in SALII not. ad h. l. p. 241. Ex iis, quas recensuimus, Corani propositionibus dilucide apparet, omnes has hominum piorum actiones bonas plane necessarias esse, quum cunctae non ex voluntate hominis, sed Dei, non ex libertate hominis, sed decreto Dei necessitatem afferente dependant. Pii sunt pii, quia eos pios voluit et decrevit Deus; credunt, quia eiusmodi homines sunt, quibus fidem concedere Deus decrevit; verae religioni addicti sunt, quoniam ii sunt, quos ad eam perducere voluit, in ea-

que

(k) Hinc praerogativa quaedam eorum, qui Muhammedis doctrinam sequuntur, adeoque a Deo ipso ad religionem Islamiticam perducti fuerunt, esse dicitur, quod erroris plane expertes sint, nec iis hoc damno sit, quod de quibusdam religionis capitibus disputent et inter se quodammodo differant, vid. I. GAGNIER l. c. P. II. p. 374. Sic etiam Muhammedes de se ipso praedicat, se nec errare nec decipi, LIII, 2. quam vero praerogativam cum omnibus reliquis prophetis communem habet. Ita enim Anonymus RELANDI, l. c. p. 30. affirmat, prophetas immunes esse ab erroribus et peccatis magnis.

que perseverant, donec Deo aliud placeat et velit, ut ad idolorum cultum revertantur. Muhammedes quidem *de bono opere ab homine sua sponte peracto*, II, 160. et *de adoratione Dei spontanea et coacta*, XIII, 17. loquitur, sed aut sibi ipse repugnat, aut ea spontaneitas et libertas nulla alia est, nisi quod homo aliter agere potuerit, si Deus ita de eo decreuerit; quod vero nulla ratione nomen spontaneitatis et libertatis mereretur.

§. XI

Sequitur Muhammedis de *actionibus hominum malis* aequae necessariis doctrina, quae, ut sub finem dissertationis nostrae docebitur, inter Moslemos ipsos in disceptationem et controuersiam fuit adducta, quum Muhammedes diserte Deum auctorem mali faceret, nonnulli autem eorum, qui alias eum sequebantur, illud pernegare auderent. Ut vero impium doctoris arabici dogma de malis actionibus eo facilius cognoscatur, perpendendae sunt, quas recensebimus, propositiones. Iam supra §. IX ostendimus, Muhammedem docere, *Deum homines quosdam creasse, ut infideles essent, ipsis dedisse instinctum malitiae, eorum animos ad incredulitatem inflectere, neque eos ad veritatem adducere, sed potius in errorem rapere, ita ut a nemine ad veram Dei cognitionem perducere possint.* Alia quaedam hac de re ex ore Muhammedis audiamus. *Deus impios ad veram religionem non perducit* (1), II, 172. 259. 265. IV, 136. V, 59. 76. 85. 117. VI, 140. 144. IX, 20. 25. 38. 82. 111. XVI, 104. XXVIII, 51. XXXIX, 4. XL, 29. XLVI, 10. LXI, 5. 7. LXII, 5. LXIII, 6. *eos in nulla alia via, nisi quae ad infernum ducat, dirigit*, IV, 167. *et per vias, quas ipsi ignorant, in perniciem deducit*, LXVIII, 45. *eos, quos in devia abripuit, non recte dirigit*, XVI, 37. *Deus enim ipse infideles in errorem inducit*, IX, 38. XIV, 26. XL, 36. 75. XLV, 23. *in errorem agit, quos vult, ita ut eos ad veram religionem perducere possit nemo*, IV, 87. 142. V, 48. VII, 186. XI, 35. XIII, 36. XVI, 37. XVII, 97. XVIII, 16. XXX, 29. XXXIX, 36. XL, 34. XLII, 43. 45. XLV, 23. *Ipsae eos a veritate abducit*, LXI, 5. *eorumque corda et oculos a vera sui ipsius cognitione auertit*, VI, 110. VII, 146. IX, 129. *Quem vero Deus non dirigit, in eorum numerum referendus est, qui errant*, VI, 78. *errare autem eos oportet, quia sic de iis praedestinatum fuit*, XVI, 36. *Deus corda impiorum obdurat,*

De fato Muhammedis circa actiones malas.

(1) Alibi tamen docetur, *Deum quidem impios dirigere, sed eos caecitatem magis amare, quam veram directionem*, XLI, 17. *infideles quidem ad fidem vocari, eos vero credere nolle*, XL, 11. Sic etiam *Deus Adamum post lapsum iterum direxit*, XX, 120. *ipsamque Muhammedem antea errantem idolorumque cultui addictum ad veram religionem perduxit*, XCIII, 7. Placita haec repugnantia concilient Muhammedani.

obdurat, ut duritie ipsos lapides superent, II, 74. V, 14. X, 87. eorum cordibus sigillum imprimit (m) eaque obsignat, ne quidquam veritatis in animum admittere possint, II, 7. IV, 154. VI, 45. VII, 101. 102. IX, 89. 95. X, 73. XVI, 108. XXX, 59. XXXVI, 8. 9. XL, 37. XLV, 23. XLVII, 17. LXII, 3. lumen eorum, quod sibi ipsi accenderunt, irato et aduerso numine, aufert, ita ut non videant, II, 17. 19. quibus enim Deus lumen veritatis non concedit, illud habere non possunt, XXIV, 41. Eos auditu et visu priuat, II, 20. adeo ut surdi, muti et caeci sint, II, 18. 173. V, 80. X, 42. 43. XXI, 46. XLIII, 38. XLVII, 23. Deus operimentum eorum cordibus imponit, eosque surdos reddit, ut plane resipiscere nequeant (n), VI, 24. XVII, 46. XVIII, 58. XXVII, 81. 82. XXX, 52. 53. ut impii nec audire nec videre possint, XI, 21. nec iis oculi, aures, corda prosint, XLVI, 26. Improbis itaque vnum idemque est, siue praedicetur iis, siue non, ipsi enim nec credent nec resipiscent, II, 6. VII, 192. XXXVI, 10. Haec est, quam de diuino obdurationis iudicio Muhammedes fouit, opinio, quam satis aptam et commodam putaret, qua militibus suis persuaderet, ut eo acrius vehementiusque hostes inuaderent ac profigarent. Ne enim obsequium erga ipsum exuerent, eumque tanquam fraudatorem desererent, apud eos verba fecit de periculo, cui caput obicerent; fore enim, dicebat, ut Deus eos obdurationi et caecitati committeret, ut deinde ad veritatem peruenire non possent. v. SALIVS in *Disc. praelim. p. 103.*

§. XII

Continua-
tio.

Quum itaque Deus impios ad veram religionem perducere nolit, sed potius ita obduret, ut saluti suae prospicere plane nequeant: prophetae non est, ut de eorum ἀπιστία moerore affligatur, V, 77. XI, 37. XXVI, 3. 4. XXVII, 71. XXXV, 8. eosque ad fidem cogat, quum nolint, et ipsis gratia diuina negata sit, XI, 29. Nam quem Deus in errorem inducere vult, eius peccatus tam arctum atque angustum reddit, ut fidem recipere nequeat, VI, 125. Deus, licet ἀπιστίαν non praecipiat, III, 79. ipse tamen eam in eorum animos immittit, XV, 13. impios quidem signo e caelo demisso ad fidem perducere posset, sed non vult, XXVI, 4. non credunt ob decretum damnationis de ipsis pronunciatum, XXXVI, 7. licet omnia et quaeuis miracula videant, X, 95 - 97. auer-

(m) Sur. XLII, 24. dicitur, Deum, si voluerit, sigillum cordi Muhammedis impressurum, i. e. redditurum esse eum patientissimum calumniarum et insultuum hostilium. v. SALIVS ad h. l. p. 394.

(n) Sur. XLI, 5. impii ipsi causam hanc obsequii negati afferunt, animis suis operimentum impositum esse, ut doctrinam Muhammedis admittere nequeant, surdos se esse, et inter se et Muhammedem velamen quasi reperiri, ideoque se credere non posse. Hos nihilominus adhortatur Muhammedes, ut credant.

auertuntur a fide, quia a Deo in eius praescientia ac praedestinatione ab ea iam olim auersi fuerunt, LI, 9. in iisque igitur impletum est decretum diuinum, quod non credant, X, 33. Deus signa et miracula eos non finit intelligere, ne credant, VI, 109. Impii itaque non credunt, nisi Deus voluerit, VI, 111. non possunt velle viam rectam ingredi et monita sequi, nisi Deus velit, LXXVI, 29. 30. LXXXI, 26-29. LXXIV, 54. 55. Animi eorum ad malum proni et procliuēs sunt, XII, 53. In cordibus illorum morbus est, i. e. interprete GJELALODDINO, dubitatio in fide et impietas, eumque morbum Deus ipse auget, II, 10. XXXIII, 12. XLVII, 21. itemque morbus lasciuiae atque impudicitiae, XXXIII, 31. 57. Eorum corda Deus peccatis liberare et purgare non vult, IV, 47. V, 48. maledixit iis, ideoque pauci credunt, II, 88. IV, 44. V, 14. XXXIII, 61. XLVII, 23. nec vllum pro iis inuenies adiutorem, IV, 50. ii enim, quibus Deus maledixit et iratus est, in pessimo sunt statu, magisque a recta via aberrant, V, 69. eos in errore tenebrisque relinquit, II, 17. VI, 110. VII, 186. X, 12. vitam iis prorogat et bona concedit, vt magis magisque a veritate auertantur, II, 212. III, 186. VII, 184. X, 87. XVII, 18. XIX, 72. XXV, 19. LXVIII, 46. iis peccata non vult condonare, IV, 136. 167. IX, 82. LX, 4. LXIII, 6. eorum poenitentiam non expectat, II, 164. XV, 9. immo quamuis respiciant, Deus tamen eorum poenitentiam non accipit, III, 89. IV, 17. efficit, vt ipsi salutis animarum suarum obliuiscantur, LIX, 19. malevolentiam in iis erga alios excitat, LIX, 10. eorum profectionem in bellum (quae opus bonum censetur) renuit eosque segnes reddit, ita vt bonum hoc opus perpetrare non possint, IX, 48. in quauis ciuitate sceleratos constituit, vt fraudulententer agant, VI, 123. Diaboli quidem homines corrumpunt iisque mala suggerunt, VII, 28. 200. XXVII, 25. XXVIII, 15. XXIX, 38. XXXVI, 61. XLIII, 60. LVII, 13. LVIII, 10. 19. faciunt, vt homines praecepti diuini obliuiscantur, VI, 67. auctores et suasores sunt odii et inimicitiarum, V, 100. primos homines ad malum impulerunt, vt ex paradiso eiicerentur, II, 36. VII, 23. 28. homines e luce in tenebras, ex vera religione ad idololatriam et peccata, deducunt et decipiunt, II, 258. XIV, 29. eosque in errore retinent, VII, 202. Sed, quod bene notetur, Diaboli neminem in errorem agunt, nisi eos, qui a Deo destinati sunt, vt ab illis deciperentur et in deuia abriperentur, IV, 117. 118. XV, 38-42. XVII, 63-66. et qui in inferno comburendi sunt, XXXVII, 162. 163. ex concessione Dei, LVIII, 10. Hos itaque diabolos Deus eorum, qui non credunt, praesides constituit, VII, 28. impiisque adiungit, XLIII, 34. Eadem ratione explicanda sunt ea loca, vbi impii alios a recta via auertere dicuntur, XI, 20. XIV, 4. LXIII, 2.

§. XIII

Continuatio.

Impiorum inimicus est Deus, II, 98. 277. III, 32. 56. 140. IV, 35. 106. V, 73. 96. VI, 141. VII, 32. 56. VIII, 61. XVI, 23. XXII, 40. XXVIII, 76. 77. XXX, 45. XXXI, 18. XLII, 39. LVII, 23. *et impii sunt inimici Dei, ideoque non conuertendi*, IX, 116. *Opera mala, quae tamen Deus non praecipit, sed potius prohibet*, VII, 29. 34. XVI, 90. *ipsis praeparata et quasi adornata sunt*, VI, 122. IX, 38. X, 13. XXXV, 8. XL, 38. XLVIII, 12. *immo Deus ipse ea iis praeparauit*, VI, 108. XXVII, 5. *et, Deo sic volente, Satanas*, XVI, 63. XXVII, 25. XXIX, 38. XLVII, 25. *Nec verbum Dei nec miracula ipsis profunt*, XIII, 34. VIII, 22. *verbum diuinum errorem potius in iis adauget*, V, 73. 77. XVII, 61. 83. LXXI, 24. *Peccant, quia Deus voluit; si enim Deus vellet, impii non peccarent* (o), VI, 107. 112. 137. *Si voluisset, iis dare potuisset sapientiam veramque sui cognitionem*, VII, 177. *Fieri quidem potest, vt eiusmodi homines, qui antea a pietate remoti erant et scelestissimi, pii et fideles euadant, sed Muhammedes, qui tamen se prophetam et apostolum Dei iactabat, nescit, num hic vel ille admonitionem admissurus sit; hinc ait, forsitan fore, vt dirigantur impii*, XXXII, 3. *vt poenitentiam agant*, XXXII, 22. *vt monita sequantur Deumque timeant*, XX, 40. *Haec est impia doctrina, qua Muhammedes Deum auctorem mali et peccati* (p), *malasque hominum actiones ex voluntate et decreto Dei dependere, ideoque plane necessarias esse pronunciauit. Expresse quoque saepius Deo dolum, fraudemque adscribit, et eum vaferrimum appellat*, III, 53. IV, 141. VII, 100. 184. VIII, 29. X, 22. XIII, 44. XXVII, 51. LXVIII, 46. LXXXVI, 16. *Deum vel piis hominibus fraudem* (quasi bonum quid esset) *suggerere affirmat*, XII, 76. *etsi alibi asserat, Deum fraudem et dolum nullo modo dirigere*, XII, 52. *Historiolam addere placet, quam ED. POCOCCIVS l. c. p. 236. ex libro Mogreb verbis sequentibus commemorat: Fingit Muhammedes in dictis ab ipso*
testium

(o) Hinc excusationem idololatrarum, *se idola non coluisse, nisi Deus voluisset*, dicentium infringere non potuit Muhammedes, VI, 148. XVIII, 35. XLIII, 19.

(p) H. RELANDVS l. c. p. 150 sqq. non vult concedere, Deum ex Muhammedis doctrina esse mali peccatique auctorem. Fatetur quidem, in Corano legi: *Quem Deus dirigit, illum nemo in errorem inducere potest, et quem in deum abripit, ad veritatem nemo potest reducere*; sed hunc modum loquendi prouidentiam circa mala et bona versantem notare putat. Causa vero, cur Muhammedem tam crassi erroris absolueret RELANDVS studeat, haec est, quia ipse ex ecclesiae suae placitis putat, homines, quos Deus ab aeterno eo modo et loco et tempore peccaturos certissime praesciuerit, aliter non posse agere, quasi praescientia Dei actiones humanas necessarias redderet. Muhammedes vero idem statuit; fatum enim suum quoque, vti infra §. XXIV videbimus, ex praescientia diuina deriuat.

testium omni exceptione maiorum fide relatis, Adamum cum Mose coram Deo sic disputantem: Tu (inquit Moses), o Adam, is es, quem manu sua creavit Deus, et in quem de suo spiritu inspiravit, quemque ab angelis adorari fecit et in Paradiso collocavit, ex quo ut eiicerentur in terram homines, peccatum tuum causa fuit. Respondit illi Adam: Tu es Moses, quem elegit sibi Deus in legatum, et cui verbum suum committeret, datis tibi tabulis, in quibus explicata sunt omnia, et quem sibi ad colloquium appropinquare fecit, quot annis, antequam ego crearer, scriptam fuisse a Deo legem reperis? Respondit Moses: quadraginta. Dixit Adam: et num in eo scriptum reperisti: et rebellavit Adam in Dominum suum et erravit? Affirmante Mose, et numquid, inquit, me culpas, quia fecerim illud, quod Deus de me scripserat me facturum, antequam crearer, quadraginta annis (aut, ut alius Auctor asserit, antequam crearentur caeli et terra, annis quinquagies millibus)? Addit Muhammedes: et vicit certe Adam Mosen hoc argumento.

§. XIII

Muhammedes quidem in Corano non expresse docet, qua ratione actiones eiusmodi morales necessariae hominibus a Deo imputari possint. Saepius tamen recurrit phrasis, homines bene vel male factis suis praemium vel poenam lucrari sibi sibi acquirere, e. g. II, 135. 142. 282. 287. III, 162. VI, 120. XIV, 51. XXXI, 34. XXXV, 46. LII, 21. et alibi. His locis Muhammedani, et imprimis Ascharii, imputationem doceri a Muhammede, arbitrati sunt, eamque in acquisitione quadam, *سبب*, quum homo eas actiones reuera perpetret, illaque ipsa effectione obediens vel inobediens, et hinc praemio vel poena dignus sit, consistere affirmarunt. De hac autem acquisitione infra §. XXXIII pluribus agemus, doctrinam Aschariorum, quae in hac parte vera et orthodoxa habetur, explicaturi.

§. XV

Restant aliae actiones, quas indifferentes vocant. Has quoque a Muhammede fato subiici quibusdam exemplis confirmabimus. Sic e. g. homines arbores excidunt aut eas relictas sinunt ex voluntate Dei, LIX, 5. Moses ad Pharaonem veniebat ex decreto Dei, XX, 36. Hinc Iacobus filios admonuisse fertur, ut Beniaminum ex Aegypto reducerent, nisi fato inevitabili quodam impedirentur, XII, 66. et ipse Muhammedes dixit, se cum suis templum Meccanum ingressurum esse, si Deus ita voluerit, XLVIII, 27. Sed Deus non ita decreuerat. Historia haec est. Sexto Hegjrae anno eiusque mense Dhulkada Muhammedes in somnis somniauit, se cum suis in Meccanam urbem intrare. Narrat id sociis, qui maxima laetitia affecti, Meccam proficiscuntur, sed a Meccanis in arce quadam Al Hodaibia dicta detinentur et regredi coguntur, pace et induciis factis. Anno itaque hoc Meccam expugnare non

potuerunt, quia Deus noluit, s. non ita decreuerat. Octauo autem Hegjrae anno promissio haec diuina impleta fuit. cf. I. GAGNIER *dans la vie de Mahomet*, P. II. p. 1 sqq. 105 sqq.

§. XVI

De fato Progredimur ad fatum, quod Muhammedes *circa res secundas et aduer-*
Mubamme- *fas* statuit, ex ipso quoque Corano describendum. Eundem hic, quem in
dis circa disputatione de actionibus humanis sequuti sumus, ordinem tenebimus, vt
res secun- primo ea, quae de fato hoc generatim Muhammedes doceat, obseruemus,
das et ad- deinde singulatim de rebus ex voto hominum fluentibus, et tandem de re-
uersas in bus afflictis dicamus. De fato isto *in genere* sic praecipit: *Fatum et fors* (q)
genere. *cuilibet homini in collo suspensa est*, XVII, 13. *Bonum et malum*, i. e. res pro-
 sperae et aduersae, *Deum auctorem habent*, IV, 77. 78. *Homini nihil euenit,*
nisi quod Deus de eo decreuit, et in tabula asseruata definiuit, IX, 53. LVII,
 22. Quod vero Deus decreuit, illud certo euenire debet; hinc *a Deo ne-*
mo aliquid pro nobis obtinere potest, aut, interprete BEIDAVIO, nemo a no-
 bis arcere valet voluntatem et decretum Dei, *si nos punire aut nobis propitius*
esse velit, XLVIII, 11. *Si enim Deus vult, hominum miseretur, si vult, poe-*
na eos afficit, XVII, 54. XXXIII, 24. *Ignoscit, cui vult, et punit, quem*
vult, V. 21. 46. coll. IV, 46. Homo itaque certus esse nequit, quid ipsi
 euenturum sit; *expectandum est, quid boni vel mali de ipso Deus decreuerit* (r),
 IX, 108. Huc etiam ea pertinent loca, quae quidem recte et bene expli-
 cari possent, sed quorum interpretatio petenda est ex systemate Muhamme-
 dis, e. g. vbi *Deus regnum concedere, cui velit, et auferre, a quo velit, in*
altum euehere honoris fastigium et humiliore loco ponere, quem velit, III, 26.
manumque suam contrahere et extendere, i. e. bona larga manu aut parca im-
 pertiri, dicitur, *cui velit*, II, 246. XIII, 28. XVII, 30. XXVIII, §1. XXX,
 37. XXXIV, 36. 39. XXXIX, 52. XLII, 11. *Voluntas enim Dei in Corano*
 nihil aliud est, nisi *decretum diuinum ab aeterno factum* (s). Cum his, quae
 de

(q) Vtitur vocabulo طَائِر, quod proprie *auem* notat, sed deinde de *fato* et *sorte* adhibetur, vti et Latini scriptores sic de *bona* s. *secunda* et *mala* s. *aduersa* *ae* loquuntur. Sic etiam MOGJALED (v. MARRACC. *ad b. l. p. 413*) affirmat: *Nullus est, qui nascatur, quin in collo eius appendatur chartula, in qua scriptum sit, utrum ille felix futurus sit, an infelix.*

(r) Sic quoque GAGNIER *l. c. P. I. p. 268.* commemorat, Muhammedem An-
 sarienses, homagium ipsi praestantes, gratiae diuinae his verbis, quae gallice
 adscribamus, commendasse: *Je vous recommande à la grace de Dieu, soit qu'il*
veuille vous punir, soit qu'il lui plaise de vous pardonner.

(s) Addi potest dictum Muhammedis, quod E. POCOCCIVS, *l. c. p. 237.* refert:
Felix est, qui felix fuit (i. e. cui praedeterminata est felicitas) *in utero matris*
suae, et miser, qui miser fuit in utero matris suae.

de doctrina Muhammedis de fato circa fortunam secundam et aduersam annotauimus, optime conueniunt, quae ACTAMVS Philosophus, qui viuendo Muhammedis tempora attigit, pronunciauit, et MEIDANIVS in *Collect. prouerb. arab. MS.*, laudante Cel. D. I. I. REISKIO in *Comment. de Actamo Philosopho Arab. p. 8.* sic recenset: *الدنيا بول فبا كان*

لك اذاك على ضعفك وما كان لك لم تدفعه, quae verba Cel. REISKIVS ita παραφραζει: *Res humanae gaudent vicissitudinibus. Quod bonum tibi (fataliter aut diuinitus) decretum sit, illud tibi certo veniet, neque morabitur id tua debilitas; et quod malum tibi sit impositum et descriptum, illud non depelles omni tua potentia.*

§. XVII

Specialiorem de eo genere fati Muhammedani, quod spectat ad res secundas hominum, instituamus disputationem. Sequentia ex Corano collegi placita. Deus, scribendo quasi in tabula asseruata, hominibus bona decreuit, quae ipsis et in hac et in altera vita euenire debeant, VII, 156. et hinc ipse quoque sibi fauorem et gratiam praescripsit hominibus praestandam, VI, 12. 53. Deus itaque, quem vult, misericordia, benignitate et gratia tractat, atque omnia ipsi feliciter et ex voto succedere iubet, II, 105. 262. III, 72. 73. IX, 29. X, 106. XIV, 12. XVI, 71. XXIV, 14. 21. 22. LVII, 29. coll. V, 63. XII, 76. regnum largitur, cui vult, II, 248. largissime, cui vult, victum praebet (t), III, 27. 37. XXIV, 39. in bello, cui vult, opem fert, eumque robustum ac valentem reddit, III, 13. XXX, 5. vt hostes ex concessione Dei profligare et perdere, II, 252. III, 152. et, si ita Deus voluerit, superare, IV, 89. immo, volente sic Deo, parua manu magnos hostium exercitus vincere, II, 250. atque ita victoriam a Deo iam olim decretam reportare possit, VIII, 42. 46. XXX, 4. XLVIII, 27. Incertum igitur est et hominibus plane incognitum, num rebus eiusmodi secundis et e voto fluentibus sint gauisuri. Hinc ipse Muhammedes nihil decidere audet, sed tantum affirmat, forsitan Deum iis, qui peccata sua confiteantur, sed adhuc opera bona malis admisceant, i. e. bene quidem agant., sed saepius adhuc peccata committant, gratiosum fore, IX, 104. Cum hac fortunae necessitate, quam Muhammedes docet, pugnare quidem videtur Sur. XIII, 13. vbi Deus dicitur gratiam suam ab homine nolle remouere, nisi ipse homo propensionem suam per peccatum immutet, i. e. ad peccatum pronus sit. Sed, licet facile concedam, Muhammedem sibi repu-

(t) Placitum hoc Corani infidelibus quibusdam excusationem suppeditabat, cur stipem in egenos non conferrent. Dicebant enim (Sur. XXXVI, 46.), num ei victum dare deberent, quem Deus ipse, si voluerit, aliturus esset. Sed Muhammedes, eos errare, respondit.

repugnasse, locum tamen hunc cum ceteris conciliari posse existimo, quum non modo hominis peccatum, sed et fortunam ex decreto Dei necessario euenire et fieri doceat, vnde loco nostro hanc substituo explicationem, sane Deum gratiam suam ab homine non remouere decreuisse, nisi decreuerit, vt homo ad malefacta procliuis esset.

§. XVIII

*De fato
Muhammedis circa
res aduersas.*

De malo physico, quod hominibus a Deo infligitur, s. infortunio sic praecipit Muhammedes. *Euenit malum hominibus nonnisi بئان اللـه, i. e. ex mente BEIDAVII, بتقديره وأرادته, per decretum Dei eiusque voluntatem, ita vt nulla ratione euitari possit, III, 167. LXIV, 12. Calamitates et mala omnia apud Deum sunt, i. e. in tabula, quae apud Deum s. iuxta eius thronum asseruatur, descripta, VII, 132. XXVII, 49 (u). Mala haec et calamitates, nec non ipsa peccatorum euersio a Deo decisa et in libro, qui apud Deum reconditur, definita est, ita vt poena haec nec prius, quam tempore a Deo determinato, euenire, nec vlla hominibus puniendis poenae prolongatio concedi queat, nisi eam prorogare decreuerit Deus, VI, 8. VII, 35. X, 20. 49. XI, 111. XV, 5. 6. XVI, 61. XVII, 58. 59. XX, 128. XXIII, 45. XXIX, 53. XXXIII, 59. XXXV, 46. XLI, 45. XLII, 14. 21. LIV, 12. LXXI, 4. LXXII, 26. Qua ex assertione sequentes, quae in Corano leguntur, fluxere propositiones: De nonnullis hominibus praecessit, s. ab aeterno pronunciatum fuit, mandatum s. decretum Dei, eos puniendi et perdendi, hinc poenis affigi et perdi debent, XI, 40. 42. 46. XXIII, 29. XLIV, 24. si vult, eos destruit et funditus delet, VI, 133. XI, 34. XIV, 20. XXXV, 6. XXXVI, 42. eo tempore, quo eos perdere decreuit, appropinquante, II, 109. XI, 44. 58. 66. 75. 95. eodemque modo, quem ab aeterno constituit, LIX, 3. ita quidem, vt malum a Deo hominibus immittendum nemo auertere possit, XIII, 13. XXIV, 58. XXXVI, 23. 42. nihil contra illud valeat ac proferat, XII, 67. 68. nec vllus eum, quem Deus reiicit atque ad miseram conditionem detrudit, honori suo pristino restituere queat, XXII, 18. Deus enim ipse homines e malo eripit, quando vult, VI, 40. aut*

(u) Sur. XXVII, 49. BEIDAVIUS quidem nomen طايبر per سبيل, modum viuendi, et h. l. inprimis شيركي, idololatriam, explicat, sed meo quidem iudicio, minus recte, quia nomen hoc eadem significatione h. l. accipiendum esse puto, quo verbum اظير male ominatus fuit de aliquo, sich von einem etwas böses abnden lassen, in eodem versiculo vsurpatum fuit. Recte itaque sic vertit SALIUS: They (from the tribe of Thamud) answered: We presage evil from thee and from those who are with thee. Saleh replied: The evil which ye presage is with God.

aut saltem eos a poena liberat eamque differt vsque ad tempus quoddam definitum, quo ea iterum afficiendi sunt, VII, 135. XIV, 11. Quum itaque poena et deletio ex decreto Dei plane necessario eueniat, nec ab vlllo repelli possit, quaeri possit, *quamobrem eiusmodi homines, quos Deus delere aut vehementi poena afficere decreuit, a prophetis aliisque probis hominibus admonerentur, vt bene agerent; vti etiam Muhammedes, VII, 165 narrat, Iudaeos quosdam aliis, qui peccatores adhortabantur, idem obiecisse, illos autem respondisse: Facimus hoc, vt nos excusatos Deus habeat, quia officium tuiti eoque ab improbitate dehortati sumus; Adhaec fortassis moneri se sinent.*

§. XVIII

Vt autem omnia ineuitabili fato subiiciantur, in Corano quoque *terminum vitae fatalem*, qui nec anticipari nec prolongari possit, diserte docet Muhammedes. Tradit vero haec: *Vnicuique homini Deus finem ac terminum vitae constituit et praescripsit, VI, 2. 59. XVII, 99. XXXIV, 14. XXXIX, 42. LVI, 62. LXIII, 11. ita vt nemo moriatur, nisi volente et iubente Deo, eo tempore, quod in tabula asseruata ab ipso definitum fuit, III, 145. Terminum hunc vitae fatalem homo nec prius assequitur, nec eius prolongationem expectare potest, II, 96. LVI, 62. LXIII, 11. sed, quando tempus illud a Deo morti istius decretum ac definitum adest, moriendum est homini, vbicunque sit, IV, 77. ita vt eam a se repellere nequeat, III, 169. et, quamuis mortem fugiat et pericula studeat euitare, tamen, termino suae vitae absoluto, diem obeat supremum, II, 244. III, 155. 157. XXXIII, 16. 17. Referenda huc etiam sunt loca, vbi deletio peccatorum et mors violenta, quae vices poenae gerit, ineuitabilis dicitur, quae v. §. XVIII. Terminus iste fatalis vitae humanae arab. dicitur *الاجل*, quo et ipse Muhammedes in plurimis, quae modo citauimus, vsus est locis, e. g. VI, 2. 59. XVII, 99. LXIII, 11. etc. ideoque etiam tabula asseruata, quippe vbi *الاجل*, terminus fatalis descriptus est, *كتاب موجل*, liber metas et terminos omnium rerum continens, Sur. III, 145. appellatur, vid. supr. §. VI. Doctrinam hanc de morte cuiusuis hominis fatali, fortunae Muhammedis bellicae maxime fauisse, ex Corano ipso apparet, quod et HERBELOTIVS in *Bibl. Or. sub voc. Agel, p. 68.* ex interprete quodam Persico, et SALIUS in *Disc. praelim. p. 103.* bene annotarunt. Nulla enim ratione milites suos magis ad praelium concitare et adhortari sibi videbatur Muhammedes, nisi quando illis proponeret, terminum vitae iam ab aeterno constitutum et in libro Dei descriptum eos nec a se remouere nec prorogare posse; eos, qui in praelio exspiraturi essent, etiam, si domi mansissent, obituros fuisse, nunc autem iis maximo honori fore, si in bello martyrii palmas reportarent. v. Sur. III, 145. et SALII not. ad h. l.*

D

p. 52.

p. 52. et cetera loca supra adscripta. Qua ratione autem, termino fatali praesente, homo moriatur, ex traditione quadam authentica, quae narrationes Muhammedis de nocturno suo itinere in caelos comprehendit, recenset I. GAGNIER dans la vie de Mahomet, P. I. p. 215. (x)

§. XX

De fato Muhammedis circa statum hominum post mortem.

Nihil restat, nisi ut doctrinam quoque Muhammedis de electione et reprobatione ex Corano subiiciamus ostendamusque, fatum eius etiam circa statum hominum post mortem versari. Obseruemus primo dicta, ubi illud in genere docetur, et deinde ad ea progrediamur, ubi vel de electione sermo est, vel de reprobatione. Locus singularis, et quem fere hac de re classificum dixeris, hic est: *Deus creavit quosdam, paradysum ingressuros, multos ex geniis et hominibus in orcum praecipitandos* (y), VII, 180. 182. *aliis ad paradysum, aliis ad infernum reddit viam facillimam*, XCII, 7. 10. *Deus olim ignoscet, cui, et puniet, quem voluerit*, II, 285. *Nemo potest sibi in altera vita bonum aut malum comparare, nisi quantum voluerit Deus*, VII, 188. X, 49. *Solus enim Deus scit statum hominum post mortem*, i. e. qui ex illis paradysum, et qui infernum ingressuri sint, XX, 47. 48. Hinc igitur

(x) Muhammedani in praeceptis de termino vitae fatali prophetae suo sic fidem habent, ut e. g. urbem s. domum, ubi pestilentia grassatur, non deserant, existimantes, se mortem effugere non posse, si ex decreto Dei ipsis moriendum sit, nec se morituros esse, si tempus, quod morti suae a Deo destinatum esset, nondum appropinquauerit. Digna sunt verba BUSBEQUII, qui ipse oculatus rei huius testis fuit, in *Epist. IV Legat. Turc.* p. 231. quae hic transcribantur. Sic autem ille: *Turcas a peste securos, sed non tutos praestat opinio, qua mortis tempus et genus uniuscuiusque fronti a Deo inscriptum persuasum habent. Si mori fatum sit, frustra declinari; sin contra, stulte metui. Itaque vestes et lintea, in quibus peste aegri animam exhalarunt, etiamnum a mortifero sudore madentes contrectant, immo iis perfricant faciem. Si Deo, inquit, visum, ut sic moriar, fieri necesse est; sin minus, obesse non poterit. Sic contagioni latus patefit aditus, totaeque interdum familiae ad unum emoriuntur.* Busbequius, qui ipse Constantinopoli fuit, quum ibi maxime saeuiret pestilentia, a principe Solimano etiam hanc ob causam veniam ex urbe egrediendi (quia pestis ipsam eius domum iam inuaserat) impetrare non potuit, l. c. p. 224. donec consiliario s. Visiro, Rustano, morte extincto, alius sufficeretur, qui principem eo perduxit, ut Busbequius potestatem se alio recipiendi concederet.

(y) Dignus est hic locus, qui fusius allegetur. Ibi autem sic: *Et iam creauimus ad infernum multos ex geniis et hominibus, ideoque ipsis sunt corda, quibus non intelligunt, et oculi, quibus non vident, et aures, quibus non audiunt; hi brutis similes sunt, immo magis errant, eiusmodi homines sunt, qui plane nihil curant. Et ex iis, quos creauimus, gens est, alios vere dirigens eoque ipso recte et iuste agens; quibus vltimis verbis EEIDAVIVS (v. SALIVS in not. adh. l. p. 136) ex prioribus lucem affundit, recte affirmans, Muhammedem, uti antea dixerit expresse, Deus creasse multos ad infernum, sic quoque v. 182. docere, ab ipso creatos fuisse quosdam ad paradysum aeternamque felicitatem.*

igitur facile apparet, doctrinam Muhammedis hanc esse, Deum iam ab aeterno quosdam vitae aeternae, alios, eosque multos, inferno destinasse, ita quidem, vt Deus saluandos ipse dirigat, damnandos vero in errorem inducat, ideoque nemo ipse alterutrum suis viribus acquirere possit, nisi quod et quantum Deus voluerit. Illud Muhammedis, *in die extremo felices fore et infelices*, XI, 106. ex modo dictis ita explicandum est, vt cum HERBELOTIO in *Bibl. Or. sub v. Cadha*, p. 226. *electi et reprobati* intelligantur. Idem HERBELOTIVS *l. c.* ex quodam *Abu Said Charraz* refert, de Sura hac XI, quae optime tradat mysterium decreti et praedestinationis Dei aeternae, qua alii caelesti felicitati, alii poenis infernalibus sic destinati fuerint, vt nemo fatum suum euitari posset, dixisse Muhammedem: *Sura Hud ante tempus canitiem capiti meo induxit.*

§. XXI

Dicta *de electione et fato*, quod pertinet ad felicem hominum statum *De fato* post mortem, nunc enarrabimus. *Paradisus quibusdam inuitabiliter decretus, Muhammedis circa electionem.* *determinatus ac praedestinatus est* (z), XXI, 101. *In tabula asseruata Deus de-* *scribens,*

D 2

(z) Muhammedes Sur. III, 187. idem docere videtur: *si sapientes estis timetisque Deum, hoc est* *من عزم الأمور*. MARRACCIUS vertit: *ex decreto rerum*, et ad Paradisum, de quo antea v. 186 dictum erat, referre videtur, qui aduersa patienter perferentibus Deumque timentibus destinatus sit et necessario atque inuitabiliter determinatus. SALIVS eodem modo: *this is a matter that is absolutely determined.* Sed hunc verborum arabicorum sensum esse, nego. Radix *عزم* proprie est: *equum loris et frenis alligauit et adstrinxit*; ad affectus translata: *affectus loris quasi et frenis, equi ferocis instar, adstrinxit*, i. e. appetitus contraxit et sedauit, ne ab iis vinceretur, nec suis cupiditatibus parere cogeretur. (In hoc verbum arab. conuenit cum germ. *baendigen*. Sic et latine dicitur: *refrenare libidines; effrenata ac indomita libido.*) Hinc porro generatim notat: *animum ad rem aliquam applicuit et quasi firmiter adstrinxit*, s. vti GIEVHARIUS interpretatur: *أراد فعله وقطع عليه*, *voluit facere aliquid, sibi que id necessario faciendum obseruandumque imposuit.* Porro, quum et ad appetitus cohibendos et ad animum ad rem aliquam applicandum prudentia requiratur, verbum nostrum etiam ad prudentiam ipsam refertur, de qua, vt et de prima, significatione nihil in GOLIO. Hinc nomen *عزم* est prudentia et officium, quod homo prudens sibi necessario incumbere et obseruandum esse scit. Verto itaque locum nostrum: *si patientes estis et timetis Deum, sane hoc est ex prudentia rerum*, s. ex prudentia in rebus obseruanda, eiusmodi quid facitis, quod prudentiam vestram testatur, officium praestatis, quod vobis ad felicitatem paradisiacam adspirantibus necessario incumbere non ignoratis. Eadem phrasis etiam occurrit Sur. XXXI, 17. vbi SALIVS sensum magis attigisse videtur, sic vertens: *be patient under the afflictions, which shall*

shall

scribens, hominibus bona decreuit, quae ipsis non modo in hac, sed etiam in altera vita euenire debeant, VII, 156. Praeparatus est paradysus piis (et quidem ita, vt reliqui homines ab eo exclusi sint, II, 94), eumque Deus donat, cui vult, II, 212. LVII, 21. ad paradysum inuitat iuxta voluntatem, s. quod idem est, decretum suum, II, 222. Ipse eos, qui beatitudini huic destinati sunt, ad felicitatem paradysiacam dirigit ac deducit, VII, 44. iique, nisi gratia Dei ipsis designata fuisset, essent damnandi, XXXVII, 58.

§. XXII

*De fato
Muhammedis
circa re-
probationem.*

Deum decreuisse, multos in infernum detrudere, ideoque eos damnandos esse, nec vlllo modo poenas effugere posse infernales, sequentia probant, quae ex Corano afferemus, dicta. Deus decreuit, orcum implere geniis et hominibus, ideoque non omnes homines ad veram sui cognitionem veramque religionem perducere potest, XI, 119. XXXII, 14. XXXVIII, 85. XLVI, 18. coll. XIX, 68. Damnationis itaque decretum de multis hominibus constitutum est atque pronunciatum, XXXVI, 7. 69. XXXIX, 19. 71. XL, 7. XLI, 25. XLVI, 18. iisque praeparatus et assignatus est infernus, IV, 36. XVII, 8. 10. XVIII, 30. 103. XXXIII, 8. 61. XLVIII, 6. 13. LXXVI, 31. Sunt igitur infernali igne comburendi, et ad hoc destinati, XXXVII, 163. orcum effugere nequeunt, III, 189. IV, 120. XX, 95. XXV, 20. poena ab iis non remouetur, VI, 147. LXX, 3. 4. fides ipsis olim non proderit, XXXII, 29. iisque dabitur, quod ipsis debetur, XXIV, 16. Neque prophetae, neque vllius fidelis est, pro homine, qui perire debet et quem incolam inferni fore ipsis innotuit, veniam precari, IX, 115. coll. XI, 38. eum enim, qui igni infernali a Deo assignatus fuit, liberare et eripere non possunt, XXXIX, 19. Impii a Deo ipso in nulla alia via, nisi qua infernum adeant, ducuntur, IV, 167. non credunt ob damnationis decretum de ipsis pronunciatum, XXXVI, 7. et soli a diabolis in deuia abripiuntur, quia in inferno sunt puniendi, XXXVII, 162. 163. Huc etiam ea pertinent loca, vbi de impiorum deletionem sermo est, quae non modo poenas temporales, sed infernales quoque inuoluit. vid. §. XVIII. (a)

§. XXIII

*shall befall thee, for this is a duty absolutely incumbent on all men. Sed MAR-
RACCIVS ibi eodem modo errat, et ita interpretatur: patiens esto in eo, quod
acciderit tibi, quippe hoc est ex decreto rerum. Sic verba haec res aduersas a
Deo decretas ideoque necessarias et ineuitabiles docerent.*

- (a) Multos quoque Muhammedanos in infernum olim a Deo detrusum iri, ipsi non negant. Muhammedes tamen, si plus lactis bibisset, effecisset, vt omnes eius asseclae felicitatem aeternam consequi et ab igne inferno exempti esse possent. Quum enim ille nocte quadam, comite Gabriele angelo, Hierosolymam proficisceretur, vt ibi in caelos ascenderet, homo quidam ad eum venit, tres vrceos gestans, in quorum primo aqua, secundo lac, tertio vinum erat.
- Muham-

§. XXIII

Ad finem perducto Muhammedis de fato systemate, totum illud *breui Descriptione* quadam *descriptione* exhibebimus. Est itaque *fatum* ex sententia Muham- *breuis fati* medis necessaria et ineuitabilis omnium rerum series atque implicatio, ex de- *Muhamme-* creto Dei ab aeterno facto fluens, quo non solum actiones hominum tam in- *dis.* differentes quam bonae et malae, sed quoque res prosperae et aduersae, vita et mors, nec non ipsa hominum aeterna felicitas et damnatio a Deo ita constitutae ac definitae sunt, vt nullo pacto aliter euenire et cadere possint.

§. XXIII

Natales fati istius Muhammedis indicaturis tria inprimis capita ex do- *Vnde Mu-* ctrina eiusdem nobis proponenda sunt. De *praescientia Dei aeterna* satis ma- *hammedes* gnifice multis locis loquitur propheta Arabs, quae, ne nimis excresceret di- *ad fatum* sputatio, omittere debuimus. Eam vero ita describit, vt, scientia Dei, *eiusmodi* quam *mediam* vocant, neglecta, omnia, quia Deus praeuidit, ea ipsa prae- *statuendum* uisione diuina necessaria fieri, putare videatur. Patet hoc ex iis praecipue *peruenerit.* locis, vbi affirmat, *Deum omnia, quae in caelo et terra fiant, scire, nihil ipsum latere, ne minimum quidem, sed cuncta in tabula asseruata ab ipso annotata esse et definita*, e. g. VI, 58. X, 61. XXII, 71. XXXIV, 4. Quae vero in tabula illa descripta sunt, necessaria sunt (§. VI), ergo etiam ea, quae Deus praeuidit. Porro ex toto, quod de fato Muhammedis exhibuimus, systemate perspici- tur notio, quam sibi de *voluntate Dei* fingit, et quae sic comparata est, vt eam a *decreto Dei necessitante* plane distinguere nequeas. Sententiam eius re- cte expriment Moslemi, dicentes: *Quicquid Deus vult, est; quicquid non vult, non est.* Loca ex Corano permulta supra iam passim attulimus; hinc iis h. l. adiiciendis supersedere possumus. Tertio ex *potentia Dei* fatum suum deriuasse videtur Muhammedes; asserit enim, *potestatem Dei in hominem tan- tam esse, vt homo nihil facere possit, nisi quod Deo placeat*, XI, 56 (v. §. IX), *omnia, quae in tabula asseruata descripta sint, facile Deum efficere posse*, XXII, 71. *homines ad veram religionem perducere et in errorem agere, quum sit omni- potens vimque habeat vlciscendi*, XXIX, 36. *impios auditu et visu priuare, quoniam maxima praeditus sit potestate*, II, 20. *ignoscere hominibus aut eos punire, quia infinita sit ipsi potentia*, II, 285. V, 47. Deo quoque, si homini ipsi eiusque potentiae adscriberentur actiones, non attribui posse

D 3

omnem

Muhammedes, de virtute lactis admonitus, lac bibendum elegit, vt ipse eius- que populus in recta via a Deo duceretur. Sed eheu! modo parum lactis bibit. Si totum vrceum exhausisset, nemo vnquam e populo eius ignem infernalem vidisset. Vrceum quidem deinde exsiccare voluit, sed prohibuit Gabriel, quum illud iam in libro asseruato descriptum et determinatum, et calamus, qui de- scripserat, iam siccus esset. v. GAGNIER l. c. P. I. p. 205 sq.

omnem omniaque comprehendentem potentiam, existimavit, eosque, qui id docebant, Kadarios scilicet, cum Magis, qui duo principia statuerunt, comparavit (v. infr. §. XXIX). Sic etiam Muhammedani omnes actiones humanas potentiae Dei adscribunt, v. §. XXVI. XXX sqq. Quod speciatim ad *directionem Dei piis concessam, impiis vero negatam*, attinet, Muhammedes dogma hoc suum ex praeceptis Christianorum male intellectis hausisse videtur. His enim docentibus, homines non ex suis viribus, sed gratia, quae ipsis a Deo concedatur, bene agere, eos autem, qui gratiae divinae resistent eamque admittere nolint, a Deo deinde iudicio obdurationis tradi, ut postea poenitentiam agere nequeant, rem sibi ita concepit Muhammedes, ac si pii ita a Deo dirigerentur, ut necessario bene agerent, impii autem omnes, quos Deus infideles et damnandos creauerit, ab eo obdurati et pertinaces redderentur, ut inevitabiliter peccarent, nec ad veram Dei cognitionem perducii possent.

§. XXV

Placita
quaedam
Somnitarum
de
fato.

Vt vero quoque appareret, quo pacto aeternae Muhammedis in hac doctrina cum suo propheta convenirent, *placita quaedam Orthodoxorum*, qui, quoniam *Sonnam*, s. complexum traditionum de dictis et factis Muhammedis, agnoscunt, *اهل السنة*, *Sonnitae*, vocantur, hic adiungere utile iudicavimus. AL GAZALIVS in *Interpretat. confess. fid. Orthod.*, quam ED. PO-COCKIVS *Specimini hist. Arab. p. 274 sqq.* inseruit, haec affert *p. 277 sq.*:
Vult Deus ea, quae sunt, et disponit (مدبر) ea, quae de novo proveniunt, neque obuenit in imperio aut regno parum aut multum, paruum aut magnum, bonum aut malum, fides aut infidelitas, scientia aut ignorantia, assequutio aut frustratio, incrementum aut decrementum, obedientia aut rebellio, nisi eius determinato consilio (بغضايه) et decreto (قدره) et sententia (حكمه) et voluntate (مشيئته). Quicquid ipse vult, est, et quicquid non vult, non est, nec voluntatem eius fugit nictus oculi, nec impetus aliquis cogitationis, verum ipse est, qui rebus initium dedit, quique primo condidit, et qui restitutus est, et efficit, quicquid vult, adeo ut non sit, qui sententiam eius reuocet, nec qui decreto eius (لغضايه) moram iniiciat, nec suffugium sit vllum homini, ne rebellis in eum reperiatur, praeter auxilium et misericordiam ipsius, nec potentia homini ad obsequium ipsi praestandum, nisi ab amore et voluntate eius; quod si simul congregentur homines et genii et angeli et diaboli, ut vel unam atomum moueant aut quiescere faciant absque voluntate et beneplacito ipsius,

ipsius,

ipsius, non possunt hoc facere. Voluntas autem Dei subsistit in essentia eius inter cetera eius attributa, nec vllum vnquam fuit tempus, quo non ipsi attributa fuerit, quod scil. ab aeterno voluerit, vt temporibus, quae ipse illis praestituerat (قدرها), exsisterent res, quae demum temporibus suis exstiterunt singulae, prout ipse ab aeterno voluit, nec citius nec serius, sed conuenienter scientiae et voluntati ipsius, sine mutatione aut alteratione successionis rerum, non noua cogitationum ordinatione, aut temporis expectatione, ideoque non distinctur re aliqua, quo minus aliis vacet. Anonymus RELANDI, de relig. Muh. p. 60 sqq. Muhammedanos confiteri, ait, Deum decreuisse (قدر) res et modos earum, ita vt nihil contingat in mundo, siue quod attinet ad rerum status, s. operationes, s. bonum, s. malum, s. obsequium, s. inobedientiam, s. fidem, s. infidelitatem, s. valetudinem prosperam, s. aduersam, s. diuitias, s. paupertatem, s. vitam, s. mortem, quod non contentum sit in decreto (بتقدير) Dei et ordinatione, voluntate et iudicio eius. Addit: bonum, obedientiam et fidem Deus ita decreuit, vt ea ordinet et velit, subsintque decreto, salutari directioni, beneplacito et imperio suo; malum e contrario et inobedientiam et infidelitatem decreuit quidem, ordinat et vult, et decernit, sed tamen sine salutari sua directione aut beneplacito vel imperio suo, sed in seductione et indignatione sua et prohibitione. Dogma hoc concludit his verbis: bonum vult Deus, ita vt ei placeat, malum vero vult, ita vt id auersetur. Cum vltimis his verbis ea conueniunt, quae P O C O C K I V S, l. c. p. 233. ex libro Mogreb, in cuius margine adscripta fuerunt, refert, Sonnitae adscribere facta turpia determinato Dei consilio (قضاء) et decreto (قدر) eius, ita tamen, vt non dicant, fieri turpia ista beneplacito eius, sed voluntate eius et decreto eius; esse nempe differentiam inter beneplacitum et voluntatem, tum verborum sono tum vsu, e. g. quum bibat aegrotus medicinam, velle hoc, sed non ei bene placere. Auctor libri كتاب الرسالة, quo vsus est IO. HENR. HOTTINGERVS (Hist. Oriental. p. 414 sq.) hac de re sic differit: Bona et mala, dulcia et amara (s. res secundas et aduersas) gubernat (مقادير) Deus Dominus noster, in cuius manu sunt dispositiones rerum (قضاية), earumque processus et origines a decreto eius (قضاء) dependent. Omnia nouit Deus, priusquam eueniant, eademque omnia fluunt ex ordinatione eius (قدره). Nihil a cultoribus eius (s. hominibus) datur effectum, siue verbum sit siue opus, quod non iam decreuerit (قضاء) suaque praescientia anteuertit. Aut annon norit, quem creauit, quum propitius sit et omniscius, errare faciens, quem vult, et dirigens, quem vult, eique pro misericordia sua opem fert? Omniaque ad facilem exitum deducuntur, iuxta praescientiam eius et prouidentiam (قدره), siue calamitosum sit, siue optatum. Absit cogitare, aliquid

aliquid esse in regno eius, quod ille nolit, aut quod quicquam emolumenti cuiquam accedat, ipso non concedente, aut quod ullus ullius rei creator sit, praeter eum, qui Dominus est creaturarum suarum, Dominus operum eorum et ordinator (القدر) motuum et consiliorum eorum. Aliorum quorundam de fato verba HERBELOTIVS in *Bibl. Or. sub v. Cadba*, p. 226. recensuit, quae cum his, quae modo commemorauimus, bene conferri possunt.

§. XXVI

Expositio
quaedam
sententiae
Sonnita-
rum de
actionibus
hominum
necessariis.

His adiungenda sunt alia, quae speciatim ad *fatum circa hominum actiones* pertinent, quod nempe multas inter Muhammedanos excitauit contro-
uerfias. Illustrem, qui hanc rem fuse exponit, locum ex litteris quibusdam
latinis, quas AHMED IBN ABDALLAH, Aethiops, ad *Mauritium*, princi-
pem Oraniae, et *Emanuelem*, Lusitaniae principem, scripsit, in quibus reli-
gionem Christianam diiudicat, et quarum exemplar, quod quondam IO. SEL-
DENI fuit, in Bibliotheca *Bodleiana* asseruatur, retulit SALIVS in *Disc.*
praelim. p. 168 sq. Praecipua hic annotare lubet. Ille, ex vera Sonnitaram
opinione, asserit, *homini potestatem et facultatem esse, bonum et malum eligen-*
di, eumque scire posse, se, si bene agat, felicem, si male, infelicem fore; nibilo-
minus tamen eum a potentia Dei dependere, eumque velle, si Deus velit, velle
non posse, si Deus nolit. Deus (sic paullo post disputat) *iam ab aeterno*
omnia creaturarum opera, siue bona siue mala, nouit, eaque opera potentia Dei
et eius libera ac determinata voluntate creata fuerunt, sicut ipsi visum fuit.
Deus creauit hominem pium et impium, huiusque impietatem et illius pietatem
praesciuit; potuisset omnes creare bonos, si voluisset, sed ipsi placuit, creare bo-
nos et malos, quum ipsi soli sit absoluta et libera voluntas et perfecta electio, et
non homini. Quum igitur miser homo a voluntate et potentia Dei creatus fue-
rit, nihil ipsi tribui potest, nisi ipse cognoscendi et sentiendi sensus, an bene vel
male faciat. Sensus hic vnica est gloriae eiusdem vel poenae causa; per hunc
enim scit, quid boni vel mali fecerit. Denique, sententiam Sonnitaram fu-
sus exponens, multa de sapientia Dei, qua etiam ille impossibilia nouit, et
de potentia, a quo possibilia dependent, verba facit, et, quia ab eius po-
tentia ea, quae possunt esse, dependeant, ea autem semper parata sit, possibi-
libus existentiam dare, demonstrat, omnia hominum opera siue quiduis aliud
a sola potentia Dei pendere, nec aliqua potentia posse impediri potentiam
Dei, quum nulla alia potentia absoluta sit, praeter Dei; potentiam nostram
non esse a se, nisi a Dei potentia, eamque a Dei potentia eodem modo regi,
quo stramen a motu maris moueatur. Lepidum exemplum affert his verbis:
Itaque Dei potentia semper est parata etiam ad occidendum aliquem; vt, si quis
hominem occidat, non dicimus, potentia hominis id factum, sed aeterna potentia
Dei;

Dei; error enim est, id tribuere potentiae hominis. Potentia enim Dei quum semper sit parata, et ante ipsum hominem, ad occidendum; si sola hominis potentia id factum diceremus, et moveretur, potentia sane Dei (quae ante erat) iam ibi esset frustra, quia post mortem non potest potentia Dei cum iterum occidere, ex quo sequeretur, potentiam Dei impediri a potentia hominis, et potentiam hominis antecellere potentiam Dei, quod est absurdum et impossibile. Ex modo dictis sic concludit Aethiops noster, Deum esse, qui operetur aeterna sua potentia; si vero homini iniiciatur culpa, siue in tali homicidio, siue in aliis, hoc fieri, quantum ad praecepta et legem; homini solum opus externum tribui eiusque electionem, quae sit a voluntate et potentia eius; non vero internum. Libertatem itaque quidem relinquere sibi videntur Muhammedani, sed eiusmodi, quae a voluntate et potentia Dei ita circumscripta est, ut nomen hoc plane mereri nequeat.

§. XXVII

Antequam disputationi nostrae finem imponamus, ex promissis quaedam *Quid Sectae Muhammedicae nonnullae de fato sentiant.* de *Sectis Muhammedicis*, quae huc pertinent, addenda sunt. Tota quidem haec doctrina a nemine, qui Muhammedi nomen dedit, quantum scio, in dubium vocata est, sed modo pars quaedam insignis, quae de actionibus hominum bonis et malis Deo adscribendis et exinde necessariis praecipit. Ea igitur, quae dicemus, de parte hac fati Muhammedani praecipue agent. Ne autem libellus noster limites, qui eiusmodi scriptionibus praescribi solent, excedat, breuitati studeamus necesse est. Quare de iis modo sectis quaedam enarrabimus, quarum controuersia potissimum in hoc dogmate posita fuit, et quarum aliae fatum circa humanas actiones, diuersa tamen ratione, asseruerunt, aliae prorsus negarunt. Illi sunt *Gjabbarii* et *Ascharii*, hi *Kadarii* et *Motazali*. Quum vero posteriores controuersiam hanc inter Muhammedanos excitauerint, iisque priores se opposuerint, apparet, primo quaedam de *Kadariis* et *Motazalis*, deinde vero de *Gjabbariis* et *Aschariis* esse commemoranda.

§. XXVIII

Initium itaque historiae huius nobis erunt ii, qui, ut sanctitati diuinae prospicerent, nec malas actiones hominum Deo, tanquam earum auctori, attribuerent, hominem ipsum, potentia praeditum, suarum actionum, ut ita dicam, dominum esse et effectorem, statuerunt. Sub initiis Islamismi, referentibus *Auctore libri Scharch ol Mawakef* (v. ПОСЛОК. in *Spec. hist. Arab. p. 210*) et *AL SCHARESTANIO* (ib. p. 194), nullae inter eos, qui Muhammedem sequebantur, controuersiae fuerunt, nisi de rebus quibusdam leuibus, et quae religionis fundamenta non peruertebant. Tandem medio fere Saeculo primo Hegrae *Mabad Gjohaniensis* (qui p. 210 *أبو حنيفة*), *Gjohamiensis*,

miensis, falso appellatur), *Gilan Damascenus* et *Jonas Afsuariensis* doctrinam Muhammedis de actionibus humanis Deo adscribendis in dubium vocarunt. *Mabad* imprimis *Gjohaniensis* fundamenta huius Sectae posuit, quae Secta *KADARIORVM* (القَدَرِيَّة) vocatur. Sic autem illi nominabantur, quia *القَدَر*, *decretum diuinum*, tollebant hominique omnem attribuebant potestatem, ut ipse viribus suis bene vel male agere, eoque praemium et poenam mereri posset (b). In *Scholiis ad Raudh ol Achjari*, librum longe praestantissimum MS., a Cel. REISKIO pro Sua humanitate et in me fauore mecum communicatum, sic describuntur: *القَدَرِيَّة الَّذِينَ يَنْفُونَ الْقَدَرَ وَيَسْنُدُونَ أفعال العباد الي العباد اول من تكلم بالقدر*
معبد بن خالد الجهني بالبصرة قتله الحجاج
Kadarii sunt, qui fatum s. prouidentiam reiiciunt, et opera hominum hominibus ipsis attribuunt; primus, qui disputauit de prouidentia, fuit *Mabad Ibn Chaled Al Gjohani*, quem *Bassorae Hegjagjus* (famosus quidam tyrannus, v. HERBEL. *Bibl. Or. p. 442*) interfecit. GREG. ABVL FARAGIVS apud POCOCK. *l. c. p. 20 sq.* Kadarios ita describit: *Kadarii nomen hoc inde acceperunt*, quod *Al Kadar*, i. e. decretum diuinum, tollant, non quod illud asserant. Affirmant siquidem, hominem potestate praeditum esse, qua actiones edat tam bonas quam malas, mererique ob ea, quae facit, praemium et poenam, longeque abesse ab hoc Dominum super omnia excelsum, ut attribuatur illi malum et iniquitas; et hoc dogma Aequitatem nominarunt, quam definiunt ordinacionem actionis secundum modum rectitudinis et rectam dispositionem eius, quod statuit intellectus secundum sapientiam. Nomen hoc *Kadariorum* ob dictum Muhammedis (c) quoddam, qui eos *Magos Arabum* esse dixit, infame fuit, ita ut *Motazali*, qui tamen fere in eadem essent opinione, nomen hoc sibi dari non paterentur, sed illud *Gjabbariis* attribuerent, vbi vero aliter explicari debe-

(b) Melius tamen nomen eorum deriuatur a *قدرة*, potentia, quam in hominibus statuebant, omnes actiones ipsorum potentiae attribuentes.

(c) POCOCK. *l. c. p. 232.* ait, temporibus Muhammedis etiam videri vexatas fuisse quaestiones de Dei decreto et de libera hominis ad bonum et malum potentia. Exinde enim apparet, quosdam fuisse, quos *Kadarios* vocaret, et cum *Magis*, qui duo principia statuebant, lucem et tenebras, conferret, quia et illi alium, praeter Deum, actionum auctorem, scil. hominem ipsum, esse, affirmabant. De *Kadariis* autem his veteribus nihil certi dici potest. Muhammedes quidem alias *Kadarios* sic descripsisse fertur, qui dicerent, *Deum decreuisse hominibus rebellionem, et eos propterea punire*, v. POCOCK. *l. c. p. 237.* Sed sic comparatio eorum cum *Magis* locum non haberet.

deberet, vt cum eorundem doctrina conueniret. Egregie de hac controuer-
fia disputat P O C O C K I V S, l. c. p. 231 sqq.

§. XXVIII

Sequuntur nunc ipsi M O T A Z A L I, qui Kadariorum quidem nomen fu-
giunt, eorum tamen praecepta amplectuntur. Circa finem Seculi Hegirae ^{De Mota-}
primi floruit celeberrimus Muhammedanorum doctor H A S A N A L B A S R I, ^{zalis.}
qui Bassorae scholam habuit et saepenumero cum Chawaregjiis disputauit.
Quaestio die quodam de iis, qui grauium peccatorum rei essent, pro infide-
libus habendis, a Chawaregjiis proposita fuit, quos alii inter fideles numera-
bant. Discipulus quidam, W A S E L I B N A T A, qui eiusmodi homines, qui
Muhammedi nomen dederint, et grauius lapsi fuerint, nec pro fidelibus
nec pro infidelibus habebat, sed medium occupare locum statuebat, se e
schola praeceptoris sui *Hasani* subduxit, s. vt alii volunt, ab *Hasano* ipso ex-
pulsus est, vnde ipse eiusque asseclae postea appellati sunt *المعتزلة* *Mo-*
ta-
zali, i. e. *Separati*. Quod ad eam, de qua h. l. agimus, doctrinam *de actio-*
nibus humanis attinet, Motazali sententiam fere eandem cum Kadariis tenuerunt.
Docent nempe, homini liberam siue ad bonum siue ad malum esse po-
tentiam, eumque ipsum actionum suarum esse dominum. Tollunt decretum
Dei, quod fatum ex Muhammedis Muhammedanorumque opinione introdu-
cit, vt libertatem homini vindicent. Sic A L S C H A R E S T A N I V S (v. P O -
C O C K. l. c. p. 241. 235) refert, eos credere, *creatorem esse sapientem et iustum,*
nec attribuendum illi malum et iniquitatem, nec fieri posse, vt velit ille in homi-
ne contrarium illius, quod iubet, aut statuatur super hominibus aliquid, deinde ob
illud eos remuneret. Sed hominem Agentem esse in bono et malo, et fide et infi-
delitate, et obedientia et rebellionem, et remunerari ipsum ob actionem suam; Do-
minum autem potestatem illi ad haec omnia faciendam concessisse; et actiones homi-
num consistere in motibus et quiete et studio et speculatione et scientia, et fieri
non posse, vt dicatur homini: fac, quum faciendi potestatem non habeat; quin-
immo sentire eum in se ipso potentiam et actionem, et quicumque hoc negauerit,
negare illud, quod necessario ita se habeat. Vnanimi itaque consensu statuunt,
hominem potentia praeditum esse, et creatorem esse actionum suarum, tam bona-
rum quam malarum, ideoque dignum ob ea, quae faciat, praemio vel poena in die
iudicii; Dominum autem procul ab hoc abesse, vt attribuatur illi malum et ini-
quitas, et actio, quae sit infidelitas et rebellio, quoniam, si crearet iniquitatem,
iniquus esset, sicut, si crearet iustitiam, iustus est. A Deo itaque malas hominum
actiones remouere quam maxime student; statuunt tamen, ne potentiae di-
uinae limites ponere videantur, Deum quidem malum et iniquitatem facere posse,
non autem facere, quia turpe sit. Monachus quidam Motazalorum, I S A

MOZDAR (مزدار, qui a GREG. ABVL FARAGIO ap. POCOCC. l. c. p. 20. Merdad مزدان, et a MARRACCIO in Prodr. P. III. p. 75. Merday مزداي, quae nomina in scriptura arabica facile permutari possunt, appellatur, v. POCOCC. l. c. p. 219) dixit: *posse Deum mentiri et iniuriam facere, et si ita fecerit, futurum Deum iniquum et mendacem.* Alii tamen, vt melius cauerent, ne Deum auctorem mali facerent, ei omnem circa malum potestatem abiudicarunt. Fecit id ABV ISHAK IBRAHIM IBN BASCHAR AL NODHAM (quem MARRACC. Prodr. P. III. p. 75. falso *Ibn Ioffar* vocat), qui nouam et singularem inter Motazalos constituit sectam. Statuit ille: *Deo non attribuendam potentiam circa malum et rebelliones, nec dicendum esse, cadere haec sub potentiam creatoris.* Nodhamiani ab eo sic dicti, teste *Auctore libri Scharch ol Mawakef*, idem docent, *non esse Deo potentiam faciendi seruis suis in mundo, quod non ipsis commodum sit, nec augendi in altero mundo, vel diminuendi praemium aut poenam eorum, qui in Paradiso sunt vel in inferno, imaginati, non posse amotionem Dei in malis et sceleribus perfici, nisi ipsum potentia sua quoad ea spolient.* Haschamiani, qui ab HASCHAMO IBN AMRV KARATIENSI nomen traxerunt, defendunt, *non dicendum esse, Deum creasse infidelem; infidelem enim complexum quid esse ex infidelitate et homine, Deum autem infidelitatem non creare.* Fuerunt inter hos Motazalorum doctores alii non minus celebres, e. g. discipulus ille *Al Nodhami*, ABV OTHMAN AMRV IBN MAHBVB AL GJAHEDH (الجاهد), quod nomen MARRACC. l. c. p. 75. corrupte scribit الجاهظ, *Al Gjachet*), et praeceptor *Abul Hasani Al Aschari*, ABV ALI AL GJOBBAI (الجبائي), quem HERBELOTIVS in *Bibl. Or.* p. 133. sub v. *Aschari, Abu Ali Hajian*, et p. 387, vbi de eodem speciatim agit, *Gjabali* vocat, vitiosa vel non satis accurata, quod magis arridet, vocabuli scriptione deceptus). Sed omittimus hos, quum hac in re cum ceteris Motazalis fere consentiant. De Motazalis autem, quorum secta a Muhammedanis neutiquam pro orthodoxa, sed falsa et haeretica, habetur, pluribus edisserunt POCOCCIVS l. c. p. 211 sqq. 235 sq. 241 sqq. SALIVS in *Disc. praelim.* p. 158 sqq. BRVCKERVS in *Hist. crit. Philos. T. III.* p. 144 sq. MARRACC. in *Prodr. P. III.* p. 74 sq. HOTTINGER. in *Hist. Orient.* p. 563 sqq. HERBELOT. in *Bibl. Or.* p. 644. 910.

§. XXX

De Gjab-
bariis

Vt Kadariis his et Motazalis, qui eiusmodi quid praecipiebant, quod Corano esset contrarium, repugnarent, alii surrexerunt et dogma Muhammedis vltius studuerunt confirmare. Primi fuerunt GJABBARI, arab. الجبارية
الجبريون.

I. الجبريون. Nomen hoc acceperunt a nomine الجبر, quod terminus technicus est, et, explicante AL SCHARESTANIO, negationem designat attributorum realium in homine, ut Deo adscribantur, s. ut Auctor libri Al Marwakef et IBN OL KESSAI habet, eam denotat doctrinam, qua actiones hominis Deo attribuuntur. Unico verbo nomen hoc arabicum coactionem interpretari, et Gjabbarios ita describere possumus, eos esse, qui hominem omnia coacte agere vique decreti diuini, a quo ineuitabili necessitate ad omnia, quae agit, facienda impelli statuunt. Ipsi tamen inter se circa explicationem coactionis illius non in vniuersum conuenerunt. Alii, qui الخالصة, puri, vocantur, homini nec actionem, nec vllam ad actionem potentiam concesserunt. Rigidioribus istis Gjabbariis annumerantur Gjabmiani, doctrinam GJAHMI IBN SAFWAN, qui circa finem imperii Ommiadarum floruit, sequentes. Docent, non dari proprie actionem, nisi in Deo; hominem non posse aliquid facere, ipsi nullam esse potentiam, neque operantem (quam Motazali et Kadarii homini adscribunt), neque acquirentem, (quam Gjabbarii moderatores et Ascharii ipsi attribuunt); eum coactum (الجبريون) producere opera sua, quum ipsi nec potentia sit, nec voluntas, nec electio, eum esse eodem gradu, quo inanimata, Deumque in eo actiones creare, uti ipse eas creet in rebus inanimatis; hominem in iis, quae ipsi attribuuntur, actionibus, se habere arboris instar, quam ventus mouet, easque ipsi non adscribendas esse, nisi per metaphoram, eodem modo, quo inanimatis attribuuntur, uti e. g. dicitur: fructum facit arbor, currit aqua, mouetur lapis etc. Asserunt tamen, esse praemium et poenam ex iis actionibus, quae ex necessitate proueniant, expectandam, immo quum eiusmodi coactio s. necessitas (الجبر) statuatur, esse quoque mandatorum impositionem ex necessitate.

puri

§. XXXI

Ab hac tamen doctrina alii, qui Giabbariis se adiungunt, et المتوسطة, et mediis. Gjabbarii mediis, appellantur, recedunt. Medii autem vocantur, quia inter الجبر, necessitatem, quam Gjabbarii puri asserunt, et التفويض, libertatem absolutam, quam homini adscribunt Motazali et Kadarii, mediam sententiam tuentur. Nonnulli enim homini potentiam ad actionem tribuunt, sed eiusmodi, quae nullam omnino in actionem impressionem habeat s. influentiam. Alii, quos ex auctoritate Auctoris libri Al Marwakef et IBN OL KESSAI Gjabbariis his mediis annumero, potentiae in homine productae impressionem quandam in actionem, quam كسب, acquisitionem, vocant, adscribunt. كسب proprie lucrum, acquisitionem notat, sed Muhammedani vocabulo hoc ad meritum operum humanorum designandum vtuntur, atque sic explicant, actio-

nem esse, quae dirigatur ad afferendam utilitatem vel amouendum damnum, ideoque de actione Dei dici non posse, qui nec damnum sibi contrahat, nec utilitatem. Gjabbarii itaque hi moderatiores actionem ipsam Deo totam adscribunt, homini vero nihil nisi eiusmodi actionis, ut ita dicam, acquisitionem, vi cuius in actione producenda concurrat, laudeque vel vituperio dignus esse possit. Inter hos potissimum eminent Nagjariani et Darariani. Nagjariani, qui ab AL HASANO IBN MVHAMMED AL NAGJAR, cuius sententiae addicti sunt, nomen acceperunt, statuunt, Deum opera tam bona quam mala, tam honesta quam turpia in homine creare, hominem autem eam acquirere, s. per ea mereri, potentiaeque isti nouae, quae in homine sit, esse impressionem s. influxum quendam in actionem, quem كسب, acquisitionem, nominant. Darariani, a DARARO quodam IBN AMRV sic dicti, in eadem sunt sententia, opera hominum a Deo creatore vere creata esse, ab homine autem vere acquiri. Nagjariani itaque et Darariani fere idem praecipunt, quod Ascharii (de quibus mox) hac de re docent. De Gjabbariis his tum puris tum mediis fufius agunt POCOCK. l. c. p. 238 sqq. 243 sqq. SALIVS, l. c. p. 171. sqq. BRVCKERVS, l. c. p. 145. sqq. MARRACC. l. c. p. 75. sqq.

§. XXXII

De Aschariis.

ABVL HASAN ALI IBN ISMAEL AL ASCHARI, e nobili Abu Musae Al Aschari genere ortus, primo Motazalis se adiunxerat, praeceptorem nactus Abu Ali Al Gjobbai. Litem, quae in causa fuit, cur Aschari praeceptorem relinqueret et sectam Motazalorum, nouamque ipse conderet, referunt POCOCK. l. c. p. 230 sq. HERBELOT. l. c. p. 133 (qui tamen hunc Al Gjobbai falso Abu Ali Haijan vocat) et SALIVS l. c. p. 165. Floruit Aschari noster circa finem tertii et initium quarti seculi Hegjrae; anno enim CCLXX vel CCLX natus, et CCCXXIII, aut vti alii volunt, CCCXXX Bagdadi mortuus est. Aseclae, ex eius nomine الاَشْرِيَّةُ s. الِاَشْرِيَّةُ ASCHARII, vocantur, et ab ipsis Muhammedanis habentur orthodoxi. Muhammedes aliquando de sectis populi sui vaticinium edidisse traditur, his verbis: futurum est, ut populus meus in LXXIII Sectas diuidatur, quae omnes in ignem infernalem abiturae sunt, vna tantum excepta, ea scil. quam ipse iam et socii mei sequimur. Vnicam hanc sectam, quae, reliquis omnibus perditioni destinatis, saluti destinata sit, nostram esse Aschariam contendit, ei que propterea κατ' ἐξοχήν nomen الناجية, seruatae, electae s. saluti destinatae, tribuit AL SCHARESTANIVS apud POCOCK. l. c. p. 210 sq. Operae pretium itaque inprimis esse duximus, de secta hac Aschariorum orthodoxa quaedam commemorare, ea potissimum, quae ad doctrinam de actionibus humanis spectant.

§. XXXIII

§. XXXIII

Doctrina autem Aschariorum haec est. Afferunt, secundum AL SCHA-
 RESTANIVM (v. POCOCK. l. c. p. 245), esse voluntatem Dei vnam aeter-
 namque, quae se omnibus applicet, quae vult ex operibus ipsius propriis
 et operibus seruatorum suorum (i. e. hominum) eo respectu, quo sunt ab eo
 creata, non eo, quo sunt ab ipsis acquisita; ideoque eum omnia velle, et
 quod boni in illis est et quod mali, et quod commodi et quod incommodi,
 et sicut velit et nouerit, velle a seruis, quod nouerit, et iussisse calamum ea
 describere in tabula apud ipsum recondita et asseruata; atque hoc esse iudi-
 cium eius (حَكْمُهُ) et aeternum eius consilium (قَضَائِهِ) et decretum (قَدْرُهُ),
 quod non mutetur nec varietur. Potentiam itaque in homine quidem agnoscunt
 aliquam, sed talem, quae aeternum Dei decretum factorumque ordinem a
 Deo ipso constitutum immutare nequeat. Nullam homini vim adscribunt in
 rebus de nouo producendis, sed Deum hanc rationem sequi affirmant, vt
 post potentiam creatam, aut sub ea et cum ea (s. vti SALIUS l. c. p. 166. ver-
 ba arabica vertit: after or under and together with every created or new po-
 wer) actionem creet, quae in promptu sit, quandocumque illam voluerit ho-
 mo, seque ei accinxerit. Actionem hanc كَسْبٌ, acquisitionem (d),
 vocant, quae, respectu creationis, a Deo fit, respectu productionis, qua
 in medium proferatur, et respectu acquisitionis, qua homo ob eam aut prae-
 mio aut poena dignus sit, ab homine. Vt haec, quae AL SCHA RESTANIVS
 refert, clariora fiant, verba Auctoris libri *Scharch ol Marwakef*, quae apud eundem
 POCOCKIVM, l. c. p. 247. existant, transcribere liceat. Sic autem ille: *Actiones
 hominum, quae electioni subiectae sunt, cadunt sub solam Dei potentiam, nec est
 ipsorum potentiae in illas impressio, sed res ita ordinare consuevit Deus, vt exsistere
 faciat in homine potentiam et electionem, et quum nullum sit impedimentum, exsiste-
 re faciat actionem, quae potentiae eius subiicitur, cum illis coniunctam, quae actio
 hominis creata est a Deo, in medium prolata et acquisita ab homine. Per ac-
 quisitionem autem intelligenda est coniunctio eius cum potentia et voluntate ipsius,
 ita interim, vt nulla sit ibi impressio vel influxus in eius existentiam, nisi quod
 subiectum eius sit homo. Ex his itaque, quae diximus, apparet, Ascharios
 omnes hominum actiones Deo, qui eas creet et producat in hominibus, tri-
 buere, nihil ad homines referentes, nisi externam earundem productionem,
 qua eas suas faciant, et denique praemium, si actio bona sit, aut poenam,
 si mala,*

(d) Terminum hunc technicum كَسْبٌ ex iis Corani locis deriuant, vbi ho-
 mines operibus suis praemium vel poenam, vt ita dicam, lucrari s. acquirere
 dicuntur, quae vide supra §. XIV.

si mala, mereantur. AL KADI ABU BECR eodem modo substantiam facti potentia Dei enenire statuit, et, vt factum hoc morale fiat, atque vel obedientiae vel transgressionis nomine appellari possit, id facere epitheta s. conditiones et affectiones facti, quae eueniant potentia hominis. Sic quoque hac de re fere omnium Muhammedanorum comparata est sententia, media via procedentium, ita vt neque coactionem, vt Gjabbarii, neque permissionem prorsus liberam, quam Motazali et Kadarii affirmant, statuunt, sed facta a potentia Dei, hominum vero acquisitione prouenire dicant, vt, quum homo animum applicet ad obedientiam, Deus in eo eiusmodi actionem, qua Deo obtemperet, quum vero peccare velit, actionem, qua legem Dei violet, efficiat, et sic homo actionem quasi existere faciat, quanquam non sit reuera eius effector (e). Conferri hic optime possunt et repeti, quae §. XXVI ex litteris quibusdam *Abmedi Ibn Abdallah* hac de re posuimus. De Aschariis autem nostris eorumque praeceptis prolixius agit et alia ex Sonnitaram mente addit POCOCCIVS, l. c. p. 245-251. Cui addantur SALIVS l. c. p. 165 sqq. BRVCKERVS, l. c. p. 146 sq. HOTTINGERVVS, l. c. p. 596 sq. HERBELOT. l. c. p. 133 sq. MARRACC. l. c. p. 76 sq.

§. XXXIII

Conclusio.

Absoluimus itaque bono cum Deo ea, quae de fato Muhammedano commemorare constitueramus. Plura quidem addi potuissent, e. g. philosophica fati istius diiudicatio; sed limitum, quibus eiusmodi libelli circumscribendi sunt, angustiae permittere noluerunt. Existimamus tamen, systema Muhammedis, quod ex Corano descripsimus, ita concinnatum esse, vt quilibet, quid Muhammedes de fato senserit, cognoscere queat. Nonnulla de Sonnitis et Sectis quibusdam Muhammedicis adiecimus, sed ipsi, in Sectarum imprimis recensione, plura desiderari fatemur. Quae de iis diximus, ex ED. POCOCCII *Specim. hist. Arab.* praecipue hausimus, arbitrati, nihil rectius de iis dici posse, nisi quod ex libro isto maximis laudibus dignissimo, vbi omnia ex scriptoribus ipsis arabicis confirmantur, depromptum esset. In cognitione linguae arabicae (quam semper cum ceteris linguis orientalibus, hebraea imprimis, coniungemus) magis magisque progredi, ipsorumque Arabum scripta, quot consequi poterimus, perlegere ita diligenter studebimus, vt non modo in Historia, sed etiam in aliis eruditionis partibus eo felicius lingua librisque Arabum vti, et perfectius fortasse elaborata specimina exhibere queamus.

(e) Muhammedani tamen fatius esse ducunt, eodem modo, quo maiores sui hanc in rem sollicitè inquirere noluerunt, omittere de humanis actionibus ad Deum referendis disputationes, Deoque soli iudicium hac de re relinquere.

